Index.

PF.1
CS/1.

Abbott ------------------------.241

Beck, Boffa ----------------------.225

Canterbury. Archbishop of. ---------2
Coxe, Nevil, Aleppo -------------221, 224, 225, 239, 241, 243
Cotton, Mathew, Boston, U.S.A. -------8

Edwards, Edward, -----------------220.

Franck, Herman, Halle, ---------2, 8

Jackson, Philip, -----------------220

Sale, George, -------------------210
Sherman, Rowland, Aleppo. ---------208, 213, 215, 217, 219, 220,
222, 235, 237.

Reverendissimo
Domino
Dno Gulielmo,

Providentia divina Archiepiscopo Cantuariensi
totius Angliæ Primati &c.a Metropolitano, de
Ecclesia Christi summe merito, deq; ejus in Avi
Apostolici Nitorem Ardoremq; Restitutione sapi-
entissimam Curam gerenti
submisso Animo
S. P. D.
et novi Anni Auspicia felicissima apprecatur
Augustus Hermannus Franckius Theol. Profess.
et Past. in Acad. Reg. Boruss. Halensi.

Vir Reverendissime,

Bibliorum Ebraicorum à nobis editorum Exemplar, quod Anno superiore per Baronem de Salenthal demisse præsentandum tibi curavi, serenissima Fronte abs te acceptum esse, valde quidem gavisus; Sed te Litteris tua Manu scriptis, et Amorem erga me tuum singularem spirantibus id mihi significatum ivisse, non modo lætatus, sed etiam tenioris sortis meæ consci maximopere miratus sum. Eo igitur fidentius nunc tibi offero Volumina tria Adnotationum in Hagiographa, quæ Bibliis illis ordinarie quidem seorsum distrahi solitis, accesserunt ne incompletum ulla Ratione opus possidere videaris. Atque ut hoc etiam quidquid est Officii mei benignissime interpreteris, est quod in Præsentia [illegible] Reg.

To the most Revd Lord William by Divine
of Canterbury and Primate of all England & Metropol
Deserving in the Church of Christ whose Great and Wise Care
wholly excercised towards the reducing her to the Purity and Zeal of
the Apostolic Age With profound submission August Herm
Frank: S.T.P and Pastor in the Royall University at Hall
Prussia wisheth Perpetual Felicity and a happy new Y

Most Reverend Lord.

Great was my satisfaction that the Specimen of the (hebrew Bibles) publishd here which I humbly presented to you by the hands of the Baron' of Salenthal shoud meet with so favourable a Reception: But to be honourd with a Letter from your own hand with such professions of your singular affections not only rejoicd me but knowing my unworthiness even Amazd me Tis thro' this Encouragement I now presume to offer you three Volumes of Annota on the sacred Writings as belonging to those Bibles (tho' not usually joind with them) lest you shoud seem to possess an imperfect work and that you will please graciously to receive them or any thing else in my way to offer is my Earnest request. ——

Quamobrem autem ad Literas, quas summa cum Nominis tui Veneratione accepi, tam sero respondeam, debita cum Excusatione deinceps indicabo, præmissis illis, quæ tibi nunc scribenda putavi. Rem nobis gratissimam, Vir Reverendissime, fecit Neumannus vester, quod aliquot Exemplaria Excerptorum è Literis Anglicè Editis, de præclarissimo vestro instituto procurandi pauperioribus Christianis, qui in Arabia, Syria, Palæstina et alibi degunt novam Arabici Novi Testamenti Editionem, nuper transmiserit. Insigni sane Lætitia meum bonorumq; apud nos omnium affecit Animum. Quâ enim Viâ rectius ac felicius in illâ non mediocri Orbis Terrarum Parte, ubi Linguam Arabicam callent, Salus Animarum quæreretur? Vir mihi dilectissimus, Salomo Negri, qui per aliquod Tempus, et bis quidem intercedente à prima ejus Commoratione ad Reditum satis longo Annorum Intervallo, Juvenes in hac Academia Linguam Arabicam docuit, præ aliis, ut opinor, idoneus est, qui tam arduum in se suscipiat Opus, idq;, Gratia Dei suffultus ad Umbilicum perducat. Eum vero qui solus habet Immortalitatem, quam possum flagrantissimè oro, ut utile hoc Organon ad Finem usque sacri hujus Negotii & deinceps incolume vobis servet, aut si secus ipsi visum fuerit, de alio non minus apto, vobis prospiciat, faxitq; ut et Labor iste omnis ex Voto succedat, et Ecclesia ex eo Fructus demetat copiosissimos æternumq; duraturos.

Non immerito nobis videtur ad fausta Temporis nostri Signa hoc ipsum referendum esse, quod Annis proximè elapsis Verbum divinum inprimis Novi Testamenti, et in Linguas exteras translatum, et in iis ubi id jam antea factum, publicæ Luci redditum sit. Ejusmodi quid Gratia Dei ut alias apud nos tentatum est, ita etiamnum tentatur. Nunc enim Biblia Bohemica hucusque longe rarissima hic recuduntur, illustribus quibusdam Personis Sumptus necessarios piè suppeditantibus. Neque enim in his Oris desunt, qui degustato bono Dei Verbo, Lumen ejus, Nationi Bohemicæ, cui id olim D. Wiclefus Vestras accendit, Injuria vero subsequentium Temporum ita abstulit, ut ipsa Biblia Bohemica aut non habeat, aut legere prohibeatur, quantum in ipsis restituere gestiant: Ego Exemplari primo Novi Testamenti Malabarici mihi oblato, aiebam, Si Deus nollet in India sibi Ecclesiam colligere Verbum suum Indis non credidisset. Certè ita nunc ex eo quod Deus Bohemis Scripturam sacram in Lingua Vernacula reddat firmissime mihi persuadeo, id a sapientissimo Numine non alio fieri Consilio, quam ut Veritatis cælestis ejusq; intaminatæ Lux denuo in Bohemia, Hungaria etiam Silesia et ubicunque inveniuntur, qui loquuntur Bohemicè, clarius esplendescat.

Cæterum

The Reason why I thus long deferr'd to answer your letter your Venerable Name shall by and by be accounted for and a just Excuse after I have discuſs'd some Matters not improper to be first mention'd

We Receiv'd great Pleasure Most Reverend Lord in the Recei the Specimen of Letters made in England and transmitted to us by Mr. Newman in order to printing by your ~~description~~ appointment New Edition of the N. Testament in Arabick for the Use of the poor Christians in Arabia, Syria, Palestine and elsewhere This fill'd and the hearts of all Good Men amongst us with exceeding Joy, For which way can the Salvation of souls in that large part of the Globe where the Arabian Language is understood be better and more succeſsfully promoted Salomon Negri a Man I highly respect is a person in my opinion very well qualify'd to be Entrusted in this Laborious Work and thro' GOD's Aſsistance may bring it to a Fair Conclusion He for some time (Two Year's absence intervening) taught the Arabic Language in this University And I earnestly beseech him who only has immortality to bleſs. and preserve this usefull Instrument to you thro the Course of this undertaking and afterwards Or any other no leſs qualify'd person whom you may see proper to Entrust with it and may be Proper and render this Labour so Effectual that the Church may reap a plentifull and never ending Harvest thereby……

It seems a Signal Bleſsing on these times th: That Providence hath thought proper to Delay this Work hitherto For of late Years the Divine Word particularly the N. Testament hath been Translated into strange Languages and restor'd to some in which it hath already heretofore Appear'd And this hath been and still Continues to be done among us here and Elsewhere. For Bibles are now again printed in the Bohemian Language which hitherto have been very scarce by the Charitable Supplies of some Illustrious Persons Neither are there

wanting in

Caeterum, Reverendissime Praesul, gratias tibi ego quas possum, [illegible] maximas, quod Missionarios Danicos eos praecipue, qui nostra ex disciplina per Angliam ad Indos profecti; aut ex India in Daniam & Germaniam reversi sunt, omni benevolentia & humanitate complexus & patrocinio Tuo dignatus sis, beneficiis illm adjuveris, commendatione ornaveris, litteris excitaveris, denique feceris omnia, quae ad negotium Missionis illius Evangelicae promovendum ulla ratione spectare visa sunt. Christo certissime factum, quidquid his ejus membris et operi huic gloriae illius consecrato factum est. Is igitur, quemadmodum juravit, neminem mercede sua cariturum, qui potum dederit uni ex his parvis, poculum frigidae solum: ita ipse Tibi perinde ut Abrahamo, clypeus erit & amplissima merces. Neque meis opus esse precibus censeo, ut iis, qui Missioni inserviunt, porro faveas, eosque nationi vestrae de meliori commendes, cum haud expectatis meis aliorumve petitis, ipse ultro eum Te praebueris, ut tuo divino zelo, quo Missionem illam prosequeris, videaris mihi, si ex meo sensu alios judicare liceat, nos Germanos pariter Danosque accendere. Ego certe verbis exprimere nequeo, quantopere sim in hac ipsa causa exemplo tuo inflammatus, & quos mihi stimulos dederint gravissima illa Epistolae tuae verba: „Tu alios e tot tuis discipulis elige qui etiam horum mortalitati subveniant nec patere opus adeo feliciter captum defectu continuae successionis Doctorum atque Evangelistarum destitui" Verum enim vero, ut nihil quidem prius habui, quam ut his ipsis verbis, quantum ejus fieri posset, religiose satisfacerem, omnes autem conatus mei eo tendentes irriti fuerunt, nec quid hoc anno officii, quid scribi tribus illis viventibus, qui soli Tranquebariae nunc rem Missionis tractant, posset, scire ante ultimas Collegij Missionalis Hafniensis litteras, paucis abhinc diebus mihi redditas, potui: ita haec ipsa causa verissima est, quare indies dilata responsione Tibi debita, officio meo defuerim, alioquin mihi tam grato, ut neque occupationum moles, neque adversitatum tolerabilium sane, varietas, neque distractionum, quas praesertim pauperum & juventutis mihi imposita cura gignit, multitudo me avocare ab eo debuisset aut potuisset. Sic ego quidem in ruborem datus sum, quod desiderium tuum, licet mandati loco habuerim, non expleverim novoque hoc experimento didicerim, quam nihil sim & nihil possim; ista summa tamen aequanimitate Tua veniam protracti tamdiu officij mihi polliceor, deque caetero~~m~~ rem, quae Dei est, Deo committo, qui certe causam suam non deseret, licet ita imbecillitati nostrae nonnunquam videatur. Deus Te, Vir Reverendissime, valere jubeat & quam diutissime sospitem atque incolumem Ecclesiae conservet. dat. Halae d. 4. Jan. 1722

L. H.

wanting in these parts Men who having tasted the Good Word of GOD use their
utmost Endeavours to restore that Divine Sunshine to the Bohemian Nation
Your Countryman Dr. Wickcliff first lighted up for them but which by ye iniq
of Succeeding times hath been so Extinguishd that the Bohemians either had no
Bibles at all or if they had were prohibited the use of them I Remember
when I Receivd the first Copy of the Malabaric New Testament to have
said that if it did not please GOD. to plant his Chh in India he wold not
have Committed his Word to the Indians So I am now fully persuaded that
it is only by the Direction of infinite Wisdom that the Bohemians again
enjoy the holy Scripture in their Mother Tongues that so the Divine Light
may again Shine out in full Lustre in Bohemia, Hungaria and Silesia
or wherever else that language is Spoken

I am now most Revd. Prelate to return you my Sincere and hearty thanks for your
Singular benevolence and humanity wth wch you treated the Danish Missionaries particularly
those from our foundation in their Travels thro England to the Indies and in their Return
thro the same Kingdom to Germany and Denmark For the Patronage ye vouchsafd them
the Assistance You gave them Your honble recommendation of them the Encouragemt of yr
Letter to them and in a word ~~w~~ for whatever you have done towards promoting ye designs of
the said Evangelical Mission As the Goodness you have Extended to these Christian Members
is certainly done to CHRIST himself and the Works are Certainly Consecrated to his Glory
And he himself having Declard that a Draught of cold water to any of his little ones shall not
Go unrewarded so as he was to Abraham he will be yr Buckler and very great Reward. I am
Persuaded twill be needless once more to recommend the Missionaries to your care or to desire yr
intercession with yr Countrymen in their Favour since You have Already I had almost said
undesird so freely Offerd your self to their Service Insomuch that your divine Zeal in this affair
if I may judge of other Men's sentiments by my own is such as may Inflame even the Danes
and Germans themselves For my own part I want words to Express the Vigorous warmth
yr Example in this case has given me in those sharp and weighty words of yr Letter
" Let it be yr Care to select such a Number from among your disciples as may supply
" the Mortality of those already Engagd (in the Mission) Nor suffer the work so Auspiciously
begun to drop for want of a continud succession of able Teachers and Preachers of ye Gospel
Twas indeed for want of Matter to furnish a satisfactory Answer to these words that
I have hitherto deferrd to Answer your ~~Lre~~ For all my Attempts that way have proved
unsuccessfull nor have I done any thing this Year which I coud write to the three
Missionaries about who only at present manage that Affair at Tranquebar till I
had recd the last Dispatches from the College at Copenhagen Otherwise any
Multiplicity of Business nor variety of Crosses nor the multitude of Distractions
which the Care of the Poor and the Youth under my Tuition create me neither
ought nor coud have so long kept me from performing so gratefull a task notwithstanding
all wch I cannot help blushing for not sooner fullfilling your desire wch I reckon no
less than a Command and from this new Experiment I learn that I am nothing
and Can do nothing. Your Goodness however I promise my self will pardon
this long Neglect of Duty and for other matters I commit them to God as being
under his care who will not forsake his own cause tho' we sometimes
weakly immagine it. May he Most Revd. Lord bless you with Health and long
& preserve you for his Church.
Hall. Jan. 4. 1722. N. S.

[illegible]

D. COTTONO MATHERO

[illegible]

Viro maxime Reverendo atq amplissimo
D. COTTONO MATHERO
Ecclesiæ Christi Bostonensis in
America Ministro fidelissimo
Augustus Hermannus Franckius, S. Theol.
in Acad. Halensi Prof. ibidemque Pastor & Gymnasii
Scolărcha
uberrimam in Christo Salutem dicit.

Submisit mihi identidem Rev. Böhemius noster munuscula tua, libellos à Te Scriptos testesque tuæ Sanctissimæ contentionis, constantiæq; in expediendo, proferendoque inter Americanos vestros Evangelii cursu. contemplatus in his Scriptionibus tam cupidum Christi gloriæ, & Salutis hominum animum, ex eoq; conjectans de labore Studioq; tuo reliquo, &, qui hunc Sequi Solet fructum & effectum, dici non potest, quantum ceperim voluptatis invitamentiq; ad gratias agendas Domino, in ultima pene ac remotissima orbis terrarum regione tam Suavem, & tam efficacem verbi Sui Sonũ elicienti, ac eum Singulis annis reddenti auctiorem.

Loquuntur hoc antegressæ donum illud litteræ Tuæ. Est in iis inter cætera; coli in nova Anglia Vestra ducentas prope Anglorũ Ecclesias, ac triginta Indorum, qui ad Christianam Religionem essent conversi: in his omnibus doctrinæ Evangelicæ, & veræ pietatis Studium eminere. Te coepto anno ætatis decimo Septimo Evangelicum ministerium, cum duos Supra quinquaginta annos natus esses, adhuc strenue continuare. Non Solo ore te Evangeliũ nunciare, Sed manu quoque & Scriptura. Te plusquam ducentos & quinquaginta libellos, variis linguis, omnes pro Christi causa exaravisse, ac publici fecisse juris. In horum numero amplam esse historiam Ecclesiarum, quas Christus in America condidisset. Laborasse Te hucusque in opere Biblico, quod Biblia Americana velles adpellare. In ejus concinnatione te nullũ quidem omittere adminiculum, Sed diligenter etiam adhibere artes mathematicas, philosophiam, & quicquid nostro ævo antiquitatis, philologiæ, ac rerum naturalium Scrutatores invenissent; attamen nihil te reperire

inter cuncta instrumenta Hermet~~[illegible]~~ Restiga illustrius experiente pietate, purgata per Spiritum Sanctum, mente, & Scriptis hominum, traditam in Sacris Literis disciplinam esse expertorum. Mirifice Tibi placere Scripta Arndii, Speneri, meaq qualiacunque opuscula, institutionem de legenda Sacra Scriptura, & Volumen Programmatum. Septem in urbe Vestra, Bostonica, Verbi divini Præcones esse, qui me singulari amore, quem magnifacio, prosequerentur, unoq tecum animo pascerent, commissum suæ curæ gregem.

Servet Deus hanc Sanctioris laboris conjunctionem, & quam excitavit, cœlestis veritatis inter rudes gentes prædicationem jubeat perpetuam esse, eamque novos quotidie largiendo Successus, fortunet!

Ita nos vobiscum gaudemus, concessis orbi Vestro divinis beneficiis, vos item ut lætitiæ nostræ, quam adfert bonorum, superne in nostras oras adfluentium, copia, & perpetuitas, faciam participes: exponam, quæ propitiæ institutis nostris Glauchensibus providentiæ divinæ Specimina Deus proxime elapsis annis ediderit nova, quorum perceptio, ut nobis sub variis licet casibus adversis, lætandi materia fuit; sic eorum expositionem spero Tibi non minus fore jucundam. Hoc ipse adfirmasti in antecessum, eoq nomine contendisti, ut quam longissimas ad Te mittere epistolas pergam. Morem igitur igitur geram Tibi pluribusque verbis narrabo, quo statu res nostræ fuerint ab anno 1714. quo excurrente superiorem composui narrationem.

Opto autem, ut idem huic Epistolæ contingat quod modo memoratæ, & libello, quo instituta exponuntur Halensia, accidisse scribis. Scilicet Te libellum illum, qui mirandam quidem, credendam tamen historiam contineret, cum fidelibus vestris communicasse, qui incredibili & inenarrabili cum animi oblectatione mirabilia Dei in eo vestigia contemplati hunc summis laudibus celebrassent. Quid? quod liberali hujus libri communicatione, velut desumpta ab altari pruna, quamplurima pietatis tentamina in Indiæ occidentali regionibus essent accensa. At quanto gaudio Te omnesq Novanglos tuos epistola mea locupletior perfudisset, & quot laudes, lecta illa, Deo Christoq nostro Ecclesiæ Novanglæ cecinissent, non posse verbis exprimi. Non parū me, fateor, hic nuncius movit, impulitq ad texendā tam frugiferæ historiæ continuationem.

Dudum hoc facere debuissem, tam humane tuis invitatus litteris, quibus debitam pudet tamdiu distulisse responsionem. Sed non potui statim satisfacere officio, procrastinationis culpa non in me hærente, sed in necessitate. Tanta eorum multitudo est, qui ex vicinia me compellant, ut sæpe longinquos fautores quodammodo negligere cogar invitus, & conquerens jacturam oblatæ opportunitatis, & offensionem mei status ignarorum. Te igitur Virũ æquissimũ, vehementer oro, ne aliunde injectam moram mihi vertas vitio; sed pro dilata nunc longiorem benevole accipias Epistolam; in qua si quid occurret, quod meæ servire gloriæ videatur, valde rogo, ut id non aliam ob causam, quam in laudẽ divinæ bonitatis me commemorasse existimes.

I.

Omni hoc tempore tam benignum se nobis Pater cælestis præstitit, ut nullum fere diem sine occasione novi beneficii abire passus sit, conservatis non solum, quæ dederat, sed iisdem subinde adauctis, & amplificatis. Hæc beneficiorum divinorum multiplicatio, ut ab externis per se tamen magnis bonis initium faciam, cernitur primum in convictorum, quos cibat Orphanotropheũ, numero, qui à 460. ad sexcentos excrevit. Nempe jam aluntur centum & triginta quatuor orphani utriusq. sexus, centum & septuaginta studiosi Theologiæ, dicti convictores ordinarij, inter quos 24. præceptores vicarij sunt, ducenti & quadraginta octo extraordinarij, tam studiosi quam scholastici adolescentes, scholæ nostræ alumni, tirones officinæ typographicæ, librariæ, pharmaceuticæ, & famuli ancillæq. oeconomo administrantes, numero quatuor & viginti. Huc accedunt ægroti, qui curantur in Valetudinario, de quo mox plura subjungam.

Horum omniũ eadem pene adhuc conditio est, quæ anno 1714. exposita fuit. Hoc novum est, quod, cum illo tempore, decedente ordinario, è coetu extraordinariorũ, & expectantium surrogaretur alius, anno 1717. selectus ex convictoribus extraordinariis cætus 24. studiosorũ præparatur scholis nostris; ex quorum numero petantur ordinariorũ successores, imbuti satis necessariarũ linguarũ & artium scientia, succinctiq. animo, qui à vanitate ad suæ salutis curam, aliosq. lucrandi cupiditatem fuerit traductus. Eodẽ hiq. victu, quo ordinarij fruuntur: nam vespere certum locũ habent, meridie

vero ordinariorum abſentium ~~vag~~ vacuas occupant Sedes, vel his non Suſficientibus, ad menſam extraordinariam remittuntur. Donec admoveantur operi, cui se ſciunt pares, immunes sunt ab omni labore, præterquam quod ſingulis diebus duas horas tribuant iſti præparationi, ~~in excipiendis publicis Sermonibus uſitata, modus docendi Catecheticus~~ ſub qua addiſcitur Calligraphia, Arithmetica, Tachygraphia in excipiendis publicis Sermonibus uſitata, modus docendi Catecheticus. Ex præparandorũ cœtu ſumuntur vicarij, qui ordinariorum præceptorũ partes obeant, his itinere, vel morbo impeditis.

Proſpere ſuccedente præparationis inſtituto, quo Germanicæ Scholæ conſulebatur, Superiore anno in Latinam illud extendere occœpimus. Deſumebantur quatuor ex præceptoribus Vicariis, & ex præparandis illis totidem, qui à Vicariis Latinæ Scholæ inſpectoribus in Latina Oratione eaq. tam ſoluta quam ligata ac in aliis humanioribus doctrinæ partibus erudiuntur, quo uſque maturi functioni Scholaſticæ evadant. Tum quisque claſſem, cui videtur aptus, obtinet docendam, & ad minimum per anni ſpatium jubetur in Schola operari. Præparandi hoc modo Scholæ interim non abſtrahuntur, ab acroamatibus Academicis, ſed ſatis temporis habent fruendi iis, utendiq. ad cæleſtis ſapientiæ conſecutionem, & ſancti animi, quo illa capitur, informationem. Nec minus ordinarij Præceptores, qui duas horas Scholæ pro victu tribuunt, tempus nanciſcuntur ſtudia ſua proſequendi.

Ad convictorũ inſpectorem, quod in Priſtina Epiſtola omiſſum fuit, ſingulis quoque hebdomadibus, ~~totus~~ totus iſte ſtudioſorum juvenum cœtus, in certas claſſes diſtributus, diverſis horis aliquoties congregatur. Alio tempore recitatur S. Scripturæ Pericope; ad cujus explicationem, & mutuam cohortationem, unicuiq. aliquid conferre licet; alio funduntur preces, quolibet ſuis verbis, animum ſuum exonerante coram Deo, & ab ipſo gratiam pro ſe & pro opere dominico ſucceſſum deprecante.

De Scholaſticorũ extra ordinem ad prandium cœnamq. admiſſione, ~~ne~~ nihil amplius poſt Superiorem epiſtolam monendum eſt, quam quod plures jam facti ſint, qui hoc beneficiũ capiunt. Quamvis vero magna Scholaſticorum catervæ cibus præbeatur, tanta tamen nomina mane profitentium multitudo nonnunquam eſt, ut non poſſint ſemper omnes in cœnaculum

intromitti. Solent igitur, qui admitti nequeunt, tantum panis potusque accipere, quantum Sufficiat fami, Sitiq; Sedendæ, ne esurire cogantur qui Sunt omni ope deſtituti.

Memorata olim menſa Anglicana, Suos adhuc alit convictores. Nam cum ceſſarent deſtinati huic menſæ Sumptus, ex Anglia Suppeditari, [licet interea illic Evergetæ & inſtitutorum noſtrorũ adjutores non defuerint] poſtquam longo temporis intervallo à nobis cœtus iſte eſſet Suſtentatus, tandem Dynaſta quidam Germanus Sua Sponte ejus nutricationem in Se Suſcepit.

Quemadmodum vero hi omnes, quos hactenus recenſui, paratum in Orphanotropheo quotidie cibum capiunt; Sic alii, quorum opera ad varia negotia neceſſaria est, pecuniam pro merceda accipiunt. In horum numero Sunt qui panem ~~conficiunt~~ cerviciamq; coquunt, qui agunt excubias, qui procurant ædificiorum conſervationem, qui ægrotos fovent, is qui deducit peregrinos, aliosq; Orphanotrophei perluſtrare cupientes inſtituta, alius qui Bibliothecæ præeſt, & quotidie ſtudioſis Sex horarũ Spatio libros miniſtrat: alius item, qui Scholis noſtris Scribendi magiſtros præparat, docendi ratione utens admodum facili, dum ex regulis Mathematicis litterarum ductus apte & concinne docet formare; quæ inſtitutio aliis quoque patet Theologiæ ſtudioſis, in quibus hujus artis peritia plerumq; quæritur Sub diſciplinæ juventutis, cui, exactis annis Academicis, ad tempus præfici Solent.

II.

De Valetudinario, cujus deſcriptio plenior in illa epiſtola est, quam, memorato anno 1714. ad Te dedi, jam hoc accipe. Vetuſtas, & alia incommoda domus illius, in quam ex Supra commemoratis convictoribus ægrotantes & Valetudinarij recipiebantur, undeque gratis efferebantur mortui, impulerunt nos ad aliud ædificium in alio Solo propinquiori exſtruendũ: quod coepimus facere, ac coeptum brevi, Deo juvante abſolvemus.

Quæ hoſpitalitas, & tot egenorũ Suſtentatio quantas poſſet impenſas, ex hactenus narratis, quæ longiori oratione, Si meæ rationes ferrent, potuiſſent declarari; facile judicabis, ut non opus Sit ad fidē memoratæ Sumtuoſiori alituræ faciendam, attexere Catalogum Sumtuū qui etiam vno anno majores, quàm altero, Sunt, pro diverſo frumenti, & reliquarũ rerum, ad victum ~~votum~~ pertinentium, pretio. Tantum Veneramur benigiſſimi Patris cœleſtis conſtantem opem, quam nobis nulla circumſpicientibus auxilia humana, aſſidue tulit ac adfuit etiam difficillimis temporibus, & in Summa annonæ caritate, ex qua anno ab hinc altero multis miſeris, hic & alibi, vehementer laborandum fuit: qua tempeſtate, egenorũ multitudine creſcente novas menſas in Orphanotrophei cœnaculo inſtruere potuimus.

Exempla proſpicientis no- III. bis Numinis infra quædam commemorabimus; hic unum exponam in anteceſſum. Eadem tempeſtate, quæ intolerabilis, et, nulla intercedente pluvia, fontes plures exſiccans æſtus, cum Siccitate ſtragem Segeti, & hominibus frumenti victusq. inopiam attulit, Deus nobis tantam puræ & Salubris aquæ copiam largitus est, ut, quod Solomo ænigmate Suo præcepit, ad verbum implere, & rivulos noſtros foras educere potuerimus.

Rem paulo altius repetam, quo totus ejus proceſſus Tibi innoteſcat. Exſtructo Orphanotropheo, non poſtrema curæ parandæ in Vicinia aquæ fuit: nam non Sine Sumptibus inde ex Sala flumine debebat adportari. Caritatem variæ difficultates, & hyeme pericula exaſperabant. Olim jam aquæ ductus magna arte nec minore impendio inſtitutus fuit, quo ex Salæ flumine aqua in urbem transmittitur, in Orphanotropheum vero, ingente difficultate intercedente, vix potuiſſet maximis Sumtibus derivari. Cum igitur nullum in propinquo reperiremus auxilium, nec ciſternis multum profeceremus, coepimus anno 1706. experimentū capere in vicino campo, ubi ager uliginoſus erat, permittente

[illegible]

ejus possessore. Nec labor irritus fuit: nam progressis paulum in agro acclivi fossoribus, terraque octodecim pedes in altum effossa, reperiebantur duo fontis conceptacula, ruderaq cistarũ, ac fistularum, quæ ante nostrum ævum, quod postea rescivimus, aquam in urbem emiserant, Sed paulatim neglectæ in nostros usus dudum hunc Sepeliverant thesaurum. Cistas illas reparavimus, & novas fistulas adjecimus, quibus per intercapedinem mille & Sexcentorũ pedum, inventa aqua in Orphanotropheum deportaretur. Quo invento nobis quotidie tantum aquæ, quantum eo tempore necessariũ erat, comparatum est. Interjectis vero annis, quibus aquæ hujus affluentia paullũ decreverat, auctus vero fuerat numerus incolarum, institutis nostris per exædificatas ædes multiplicatis, denuo aquæ inopia laborare coepimus. Unde iterum à Salâ flumine non Sine Summa molestia petenda fuit aqua.

Hanc ob causam fontem illum aperuimus, altiusq ejus effodimus ductum, & Summotis canalibus ligneis, latericios construximus, Spatio duarũ palmarũ inter humiles istos parietes profluenti aquæ relicto, impositisq aliis lateribus, qui parietibus in transversum juncti Sunt, ut intactus à corrente terra ductus maneret. Utrinque adgerebantur lapilli, ut penetrandi, affluendiq ex Solo Sabuloso potestas aquæ per venas varias desuper, & à lateribus destillantis, in progressu esset. Hoc pacto tria millia, & Sexcentos aquæ Cantharos, quorũ unus duas habet libras, Singulis diebus accepimus.

Sed nec ea contenta esse poterat augescens quotidie multitudo. Quapropter aliis in locis, versus austrum Sitis, aquam Scrutati Sumus: Sed vel nullam, vel impuram & flavi coloris aquam offendimus.

Ergo unus ex ministris Orphanotrophei, qui cæteroquin præceptoribus Scribendi artem tradere Solet, Suo instinctu

& noſtra inſtituta invadendi cauſa. Solum Halenſe circumquaq; perluſtravit, & inquiſivit in eo fonticulos, paludes ſtagna, eorũq; originem, & qualitatem; delatus etiam interea diverſis itineribus in vicinas urbes ibi fontes, puteos, aquæductus, eorumq; conſtitutionem accurate exploravit. Deinde evolutis libris, quibus Thomas Lydiat, Burnetus, Becherus, alijq; hoc argumentũ illuſtrarunt, totam regionem in Auſtrum milliaris ſpatio protenſam, quæ Sublimior, & undiquaque Vallibus cincta est, contemplatus, in circuitu paſſim, excepta Septentrionali declivitate, quæ urbem Spectat repperit Scaturigines, tam ex alta, quam ex humiliori collis parte prorumpentes, ac bona abundantes aqua. Unde concludebat, plenum eſſe collem fontibus, eorq; in faſtigio alte adſcendere. Accuratius rem exploraturus, in parte Superiore periculum facere foſſores jubebat ut videret quam alta eſſet & quam copioſa illic aqua lateret. Ubi collis erat altiſſimus, plurimum invenit aquæ; Siquidem, terra triginta pedum egeſta, apparuit quatuor pedibus profundior. Aquæ receptaculum arena erat alba, quam tegebat limus, excipiebatq; ex parte inferiore terra nigra, ea firmitudine, qua argilla est. Huic Viginti quatuor pedibus interjectis, Suberat fuſca arena cum aqua fulva, ejus naturæ quæ Supra deſcripta est. Itaq; an. 1716. menſe Octobri cœptus est ductus aquæ, cujus Supra mentionem feci, ad mille & quadringentos pedes Sub terra continuari: unde poſtea quantam octo millia Cantharorũ capiunt, aqua conjuncta cum Vetere profluxit.

Anno 1717. menſe Septembri, cum in hoc loco ulterius progredi non poſſent, alia parte, quæ magis occidentem Spectat cuniculos agere cœperunt; Quod tam proſpere Succeſſit ut, exantlato duorum annorum labore, quadraginta millia Cantharorum impleat, quæ nobis jam quotidie

adfluit aqua. Hanc per Orphanotrophium & cæteras ædes diſtribuimus, quindecim poſitis Silanis, ex quibus aperto epiſtomio, aqua Semper prorumpit. Reliquam aquæ copiam, quâ non indigemus duabus in plateis, conſtitutis Silanis, & receptaculis, publico uſui relinquimus; ubi eam non Solum Glauchenſis Suburbij incolæ, Sed cives etiam Halenſes haurire Solent, quod noſtra aqua melior gratiorq. Salana, quam in urbe per aquæ ductum accipiunt. Totus hic adparatus aquæ limpidiſſimæ & Saluberrimæ, his annis quæſitus, illa æſtate, nempe 1719. quo Summa aquæ penuria omnes laborabant, nobis tandem offundebatur. Singulare divinæ providentiæ hoc documentum, magnumq beneficiū eſſe, nemo, qui rem recte ponderat, facile inficias ibit. Agnovit id quoque vir quidam illuſtris, qui illo tempore Orphanotrophium inviſebat, cognitoq hoc bonæ aquæ theſauro, exclamabat: hæc omnia teſtantur Deum eſſe Vobiſcum. Monuit etiam hoc nos recordari abundantiſſimæ aquæ quam divinæ benignitatis fonticulos habet, teſte Propheta Pſal. LXV. 10. quem locum ideo tunc coram coetu Scholaſtico, finito examine Solenni, explicabam.

IV.

Hæc hactenus de continuatione, amplificationeq bonorū quæ ad corpus quidem Solum pertinere videntur, inde tamen ad accendendam in animo tam boni Numinis amorem reverentiam, fiduciam ab omnibus, qui ea participãt, referri poſſunt, & debent.

Hoc, quod noſtro officio magis proprium eſt, ut in quamplurimis efficiamus, non modo publice pro mandati muneris officio laboramus, Sed tentamus etiam in numeroſo hoc futuri populi coetu, multitudineq externa illa beneficia captantium, & uſurpantium; Sperantes fore,

6

ut, cum degustati mūneris divini memoria, percepta & experta Salutis in Christo quærendæ præsidia hinc efferant, circumferantq quam longissime & ad posteros propagent. Id certe etiamnum Spectatur in Scholasticis institutis, quæ cum Orphanotropheo conjuncta Sunt, quorumq Successus omni hoc tempore insignis fuit.

Divisa hæc Schola est ut ex Superiori epistola constabit, in Germanicam & Latinam, Illa nempe Germanica nunc habet mille quadringentos, novem & quadraginta discipulos utriusq Sexus in 33. classes divisos quibus octoginta & octo magistri præsunt. Nonnulli ex his, non in Orphanotropheo, Sed alio in loco instituuntur. Etenim propter amplitudinem Suburbij, & viæ longinquitatem, quam parvulis hiberno maxime tempore, emetiri molestum, periculosumq erat, diversis in locis ædes conductæ Sunt, in quibus Scholæ habentur. Huc remotiores ab Orphanotrophio pueri, puellæq confluunt & per octo classes, novendecim præceptorū institutione fruuntur. Puellæ præter rudimenta vitæ Christianæ & Scribendi, numerandiq artem, nere etiam ab octo fœminis docentur, aliaq quæ Sexum hunc decent, discunt. Pueri Scholæ Germanicæ alumni, & Latinæ classis inferiores, diebus Dominicis, tum mane, tum à meridie, quia Sacra ædes Glauchensis eos nón capit omnes, in auditorium, in quo populares habere Solent Sermones conveniunt: ubi decantatis hymnis Inspectorū vel Sacri Ministerij Candidatorum aliquis ex Cathedra ad eos Verba facit, vel Cathechetica institutione eorum exercet acuitq attentionem; idem alio in loco fit apud puellas. Eadem multitudo, & puellarum Grex Singulis hebdomadibus in conclavi alio

congregantur, pueri die ſeptimo & die quarto puellæ. Hic adhortatur eos B. Töllneri Succeſsor, Hoffmannus, Plauchenſis Scholæ trivialis olim Rector, nunc Scholarũ Germanicarũ in Orphanotrophio Inſpector, incitatque diligentiam, obſequium, ſtudiumque exequendi ſalutaria præcepta, quæ per hebdomadam audiverunt. Admonitioni iſti non mediocrem animadvertimus ineſse vim ad tædium à teneris animis avertendum, novumque inſpirandum cæleſtis doctrinæ amorem. Hortamentis addunt preces & cantum gratias Domino agentes pro impertitis beneficiis & efflagitantes eorũ conſervationem. Cæterũ nec hoc tacendum eſt, dum amplificationem Scholæ noſtræ expono, ab illo tempore, quo ego ad urbanum Miniſteriũ adſcitus ſum, quod infrà pluribus memorabo, ex ea præceptores in urbem profectos, ibique publicis Scholis propoſitos eſse, ad quos accedunt cum alij multi, tum etiam non pauci illorum, quibus antea longa via in Orphanotropheum peragendum fuit.

Latinæ Scholæ, in quibus idem pene, ac in Pædagogio Regio, docendi diſcendique modus, quem infrà deſcribam ſervatur, alumni nunc trecenti & viginti octo ſunt; inter quos ſi qui tardioris fuerint ingenij, vel alij qui ~~ſingularem~~ inſigniorem domo attulerint ruditatem cupiantque damnũ reſarcire, paratam nunc habent claſsem extra ordinem conſtitutam, in qua diverſis horis, quibus alij ordinaria tractant penſa, linguarum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ principia arripere, atque ita ſolidioris inſtitutionis fundamentum, quo carebant jacere poſsunt. ◇

Quæ inſpectio ita ſe habet. Abſoluto ædificio quod anno 1713. medio inter Pædagogium & Orphanotropheũ loco in inchoabatur, in illius partem, quæ domus Scholaſtica dicitur, diſsipati antea per hoſpitia ſuburbana

---

◇ — Eorum vero, qui docendi munere apud hos funguntur, numerus triginta quinque eſt, qui maximam partem privatim quoque diſcipulos, præſertim peregrinos, inſpectant, otiumque, quod à publica diſciplina reliquum eſt, tantum ſcilicet, quantum ad alternam quietem, recolligendasque vires requiritur, recte et innocenter tranſigi curant.

adoleſcentes Scholaſtici commigrarũt, tot in unũ conclave admiſſis quot volebant parentes, qui pro diverſo pretio conductiones, & reliquo impendio, Suos vel cum pluribus, vel cum paucioribus jubent habitare. Sic in alio conclavi quatuor, Sex in alio, in alio octo, in uno alterove duodecim Simul degunt, in univerſum vero novem & viginti conclavia occuparunt. Singulis conclavibus datus est Præceptor, qui domũ ex Schola reverſos alumnos non onerat quidem novis penſis, cavet tamen ne male agant inter feriandum, Sed tale quid factitent, quod non poſcat animi contentionem, Sit tamen honeſtum. Mane & Veſpere precatur cum illis & recitatam S. Scripturæ particulam explicat & dirigit ad uſum eorum. Finita precatione matutina Se ad operas Scholaſticas præſente Præceptore accingunt. Reliquo tempore, quod à labore ordinario vacat, nempe hora undecima à meridie hora ~~prima~~. 6. 8. 1. adeſt ipſis Muſeis, vel permittente tempeſtate, exercendi corporis gratia, deambulantibus in Spatioſa area, vel in circumjacente campo, in quem æſtate Sæpius deducuntur. Heic quaſi aliud agendo, herbas & cætera naturæ, vel Dei potius opificia noſcere, & monente magiſtro, quomodo naturalium rerum notitia ad Numinis cognitionem, cultumq utenda Sit, non parum proficiunt, dum otiari videntur. Interdum etiam Veſperaſcente maxime cælo, ubi Solitudo est, nonnulli cantu Deum & Chriſtũ concelebrant, Subjectis Suſpiriis, & Se invicem excitant ad ejus amorem. Cæterum curatiore hac inſpectione, lubricæ ætati præclare conſulitur, dum hoc pacto Solennes Scholaſticæ juventutis corruptelæ à noſtris arcentur, & Sejuncti à peccandi illecebris ſenſim durantur adverſus eas &

virtutem veram amare adſueſcunt.

Eadem in domo locum quoque œconomo fecimus, qui cibum præbet pro æquo pretio: nempe Singulis hebdomadibus quatuordecim, vel si lautiori victu parentes Suos frui velint, octodecim, quatuorve & viginti groſsos pro prandio, cœnæq; accipit. Pauperiores quorum numerus ad centum & quadraginta excrevit ad extraordinariam menſam in Orphanotropheo admittuntur.

Quod si nonulli ex his in morbum incidant, ne contubernalibus impedimento Sint, ex Suo conclavi in Valetudinariū, quod jam in adjacentis domus parte Superiore, adeoq; diverſum est ab eo, de quo Supra Scripſi, deportantur. Quatuor in eo conclavia huic uſui accommodata Sunt; in quorum uno præceptor quidē, qui ægrotorum curam inſpicit, ipſosq; pro animi conditione cohortatur, atq; Solatur, in tribus reliquis vero commorantur affecti, quibus honeſta fœmina miniſtrat, curatq;, ut ex Medici præſcripto omnia fiant.

Porro ut parentes diſcipulorū, qui aliunde huc miſsi Sunt, de Statu Suorum certiora reſciſcant, ipſisq; deſtinent Salutaria, iisdem præceptoribus, quibus privata alumnorū inſpectio creditur, mandatum est, ut compellati a parentibus, his reſcribant, conjunctimq; cum illis, de pignorum Sibi concreditorū Salute deliberent, & hac via Siniſtram averruncent Suſpicionem & criminationem, quæ paterna maternaq; indulgentia interdū, maxime initio, ab impatientibus Sanctioris diſciplinæ filiis Solicitatur.

Cæterum ut in Schola & privatim omnia ordine, & ex præſcripto peragantur, duobus ex præceptorū numero, qui probatiſsimi reperti Sunt, demandatum est, ut legum Scholaſticorū cuſtodiam urgeant, vitia & errores in docentibus juxta ac diſcentibus animadvertant, corrigantq;: qui propterea inſpectorū vicariorū nomine inſigniti Sunt. Incolunt domū Scholaſticam, ut, quid intra privatos parietes ~~parietes~~ fiat Simul obſervare poſsint. Alter domi est,

paratus ad conſulendũ præceptoribus & diſcipulis, quorũ querelas etiam audit, & pro facultate Sua querentibus Satisfacit. peregrinos, qui Suos in diſciplinam noſtram tradunt, offerentq; Schedam, qua receptio directoris nomine conceditur, excipit, & exploratis tyronũ profectibus, in qua claſſe locandi Sint decernit. Ea, quæ ita eveniunt, in Ephemeridem refert. Interea alter obit perluſtratq; ordines diſcentium omnes, & tam docendi rationem, quam diſcipulorũ habitũ cognoſcit. In his negotiis alternant vices, adeoq; is, qui mane Scholam inviſit, à meridie domeſtica negotia tractat, & qui hoc mane fecerat, jam Scholã inſpectat. Quod alter in Schola vitioſum deprehendit, hoc ibidem notat in certo libello, unde ea in conventu cui omnes præceptores Latinæ Scholæ interſunt, exponuntur. Tum oſtendit Præſes conventus, quæ emendanda amittendave Sint, & pro re nata utilia Subinde conſilia, & monita admiſcet.

Singulis hebdomadibus adhortatio coram Scholaſtica hac juventute ab inſpectore vicario pronunciatur. Apud Inſpectores vicarios, bis Singulis hebdomadibus hora VI. matutina præceptores domeſtici exercitationi Biblicæ vacant. Interea ~~quoq;~~ alumni quoq; ipſorum coeunt ad animorũ conjunctionem mutuò precandi, canendi, divinumq; verbum explicandi Studio firmandam, purgandamq;. Præeſt huic conventui unus ex præceptoribus. Præterea quidam ex ~~hoc~~ cœtu hoc, pro Sancta fame, quæ excitatior Subinde eſſe Solet, non contenti hoc conventu, illa adhortatione, matutino veſpertinoq; divini verbi uſu, & Sermonibus Sacris ac repetitione eorũ, certam quoque horam, ipſis ad relaxationem animi conceſſam, piæ exercitationi impendere non dubitarũt. Ortus & Succeſſus puerilis inſtituti hic fuit. Initium talis exercitationis pauci fecerunt ductu præceptoris qui S. Scripturæ locũ Solebat in medium proferre, & præmiſſa brevi ejus explicatione, cuiq;, quod inde ad uſum Suum transferret,

cæteros adhortandi causa, exponere permittebat. Altera hebdomade eandem horam aliter, at non minus Sancte transigebant confluentes ad invocandum Christũ Dominum, & petendũ ab eo auxilium ad pie vivendum, tractandumq literarũ studia cum Successu bono & ad publicam utilitatem. Adolescentũ ardorem, plenamq Sancti desiderii orationem satis exprimere non poterant, qui intervenerunt precantibus. Continuato per sex menses hoc exercitio, concurrentium ad illud adolescentulorũ multitudo ita crevit, ut, qui cætui præerat, capere omnes amplius non posset. Itaque rogavit collegam, ut partiretur secum multitudinem; quo facto hæc in duos distributa est cætus, quorum quisque quadraginta constat adolescentibus quatuor superiorũ ordinũ: qui iis ~~non~~ nunc sunt moribus, ut videatur, fructum insignẽ ab ipsis, si persistant in recto proposito, in Ecclesiam olim derivatũ iri. Paulò post augescente indies numero, denuò spatium deesse cœpit omnibũ recipiendis. Quapropter duo insuper cœtus constituti, totidemq dati sunt præceptores, qui cum quatuor inferiorũ ordinũ discipulis talem conventum auspicarentur. Germanicæ Scholæ alumni, domum Scholasticam itidem incolentes, dum reliqui pietatis exercitia frequentarent, interim in area sub conspectu præceptoris obambulabant. Sed interrogati an ipsi quoque, horam aliquam, sicut commilitones & contubernales, consumere cuperent? quod minime expectavisses à tenera ætate, qualis plurium est, omnes uno ore se id vehementer desiderare responderunt. Duobus igitur traditi sunt præceptoribus, ad quos divisi in duas classes congregantur, timorẽ Domini discendi causa. Præterea circa finem proxime exacti anni, veniam quidam rogarunt auscultandi pia de loco Biblico colloquia, quæ tum præceptores stata hora inchoabant. Mox propter frequentiam discipulorum tres institui classes oportuit. Singulis præsunt sex præceptores, qui inter se colloquantur

audientibus alumnis, & citata in Sacro codice quæritantibus. Tandem nonnulli ex his, & ipſi piè fieri cupientes, obſecrarūt, ut Sibi quoq; daretur facultas hujusmodi collocutionem incipiendi. Conceſſum ipſis fuit, quod juſte petebant. Intereſt vero huic exercitationi aliquis ex magiſtris qui cavet, ne in abuſum abeat inſtitutum, & de Suo addit quæ conducere ad emendationem diſcipulorum arbitratur. Probi iſti alumni reliquis, qui magna ex parte in urbe degunt, exemplo Sunt & diligentiæ & pietatis, ac commilitonum proterviam, maledicta factaq;, Si impedire ea non poſſunt, deferunt ad præceptores. Antea diebus Dominicis, impellente præpoſtero diſcendi ſtudio, furtim libros legebant, quibus fierent doctiores: jam vero finitis publicis Sacris Biblia ad manus Sumunt, eorumq; lectione & meditatione ~~[illegible]~~ lectorum hunc diem conſumere geſtiunt. Abſente paullulum Præceptore, precantur Deum conjunctim, aut pie colloquuntur. Incepta hæc ut Secundentur, unus ex præceptoribus certum tempus impendit adeuntibus diſcipulis, & de animi Sui ſtatu, & emendatione conſilium petentibus. Interdum per æſtatem diebus Dominicis Sub veſperam in hypæthris Orphanotrophei & domus Scholaſticæ, in choros diviſi, carmina aliqui canunt, unde Sonus in vicinos hortos, & proximam urbis regionem delatus Superna Sua dulcedine audientes mirifice recreat accenditq; in iis divinioris gaudij deſiderium. Idem faciunt Orphani ante diluculum Sub auſpiciis feſtorum dierum & naſcentis, reſurgentis, Sanctumq; Spiritum effundentis Domini amorem & beneficia decantant.

Dimiſſos è Schola noſtra ad Academiam adoleſcentes, ne recenti libertate abutantur ~~&~~ ad licentiam, jacturamq; faciant bonæ mentis, unus Inſpectorum ad Se Subinde invitare Superiore anno coepit, & inſtituto cum Sponte venientibus collegio Biblico, Sacrorū literarū ſtudium Suſceptum in Schola acuit & inflammavit. Eum in finem alio tempore Græcam Hebraicamq; linguam, neceſſariū Theologiæ Subſidium, cum iisdem

[illegible]

& aliis, qui ejusmodi inſtitutione opus habebant tractavit & manu quaſi eos in viam, publice à doctoribus Academicis monſtratam, introduxit: quod inſtitutũ, cum id utile deprehenderimus, novis subinde accedentibus auditoribus, quantum poterit fieri, continuabitur.

Luſtrationes eodem modo, quo antea, quotannis inſtituũtur, adjecto sub finem examinis sermone, quo tener hic grex ad paſtorem ipſorũ Chriſtum, simpliciter pro captu hujus ætatis, invitatur. Munuſcula illa quoque adhuc solent diſtribui, animadverſumq; est, non parum fructum ex donato libello, quem singuli decipiunt, percepiſſe tam ~~pueros~~ liberos quam parentes. Videas multos pueros puellasque lætas dono, maxime libro, avide hunc paſſim lectitare in vicis, in compitis, in angulis, solos, conjunctimq; cum sodalibus, suſpirare, vultu prodere animi indolem, divina canere, pueriliter sacra facere, uno verbo vel in ludendo religioſum quid inſtituere.

Sunt hæc indicia frugiferæ sationis, licet contemptibilia propter simplicitatem puerilem; quæ bonam tamen meſſam nobis promittunt. Non deſunt quidem in tanta multitudine, qui nulla ratione ad frugem traduci poſſunt, quamquam & ex his non pauci, præſertim ingruente monitoria calamitate, suo tempore reſipiſcant; magna tamen pars, quod Dei est munus, emolliri se patitur, frangiturq; eorum contumacia & profligatur protervia sub sanctiori Jeſu Chriſti diſciplina. Unde non pauci adeo gaudent bonitate divini verbi, ut eam senſiſſe perſpiciantur. Magna illi etiam flagrant cupiditate scholam adeundi, ut hic non moleſtiam reformidare, sed frui voluptate dicas. Alit hoc ſtudium præceptorũ humanitas, & amoris paterni demonſtratio, crebriori noſtra hortatione incenſa ac ſuſtentata. Egreſſi ex Schola multi paſſim, inter se repetunt audita; parentibus & domeſticis recitant

explicatam, memoriæq mandatam S. Scripturæ particulam, addentes, quæ ex ea recte vivendi præcepta derivarunt magistri. Ubi contra hæc à quoquam peccari vident, monent, quam atrox hoc sit crimen ita offendere patrem cælestem. Non paucorum parentum animi parvulis his magistris auctoribus, ~~ab impietate~~ ~~vanitate~~ ~~ad probitatem~~ ad pietatem ab improbitate! revocati sunt: alij Spiritu & Sensu Jesu Christi jam tum imbuti, magnam ex tam grato suorū Spectaculo lætitiam coeperunt & ad majus studiū, parvulorum exemplo, fuerunt incitati. Ex multis exemplis quædam commemorabo.

Erat ~~at~~ inter Scholæ nostræ discipulas puella, quæ nono ætatis anno proximo ejus morti, nobis tradita in disciplinam, cum ex verbo divino magnum Dei erga homines amorem intellexisset, ita animo commota fuit, ut coeperit Deum ex animo invocare, & diligenter considerare ejus verbum. Quidquid ipsam sub hac exercitatione impedire posset studiose evitabat. Interjecto autem tempore, remitte~~re~~nte sensim precandi studio & pietatis colendæ ardore, solicitata à Sodalibus in petulantiam, & tam jucundas huic ætati ineptias relabebatur. Sed paulo ante quàm lethalem nacta morbum est, cum reliquo puerorū, puellarumq grege sub finem examinis, solennem audivit hortationem desumptam ex Joh. XV. 13. 14. Majorem nemo habet amorem, quam qui vitam pro amicis profundit. Vos amici mei estis, si feceritis quod vobis præcipio. Quo sermone finito, alijs de summo animæ pretio typis exscriptus ex more illis donabatur: cujus lectione, & modo memoratorū verborum admonitu mox patuit illā ad se rediisse. Etenim cum sermonis illius summa à præceptore in Schola repeteretur, illa non solum animū dictis diligenter ~~dictis~~ attendit, sed copiose etiam lacrymata est. Cæteris domum abeuntibus remansit & præceptorem, comprehensa ejus manu, multis cum lacrymis obsecravit, ut caneret secū carmina quædam, quæ revertendi ad Deū desideriū significant,

& oraret, quo ipſam recipiat in priſtinam gratiam. Inter canendum valde flebat. Sed Sub precatione denuo Se cum Jeſu Chriſto conſociavit, promittens Se ei ad mortem uſq fidelem fore, idq unum rogans, ut vires Sibi ad id præſtandum Suppeditaret. Ex eo tempore caute vitam duxit. Mane, antequam Scholam adiret, à Servatore Suo petiit ut divinū vbum animo bene inſereret & ex Se bonum faceret agrum. Quibus in precibus & lacrymis occupatam mater aliquando offendit, dum eam Sequeretur, ut intelligeret, quid filia quotidie, matutino tempore, in ædium Superiore parte agitaret. In Schola attente & probe Se gerebat, ut præceptores nunquam neceſſe habuerint eam in qua re commonefacere. Invitantes ad luſitandum puellas his verbis repulit: Melius tempus precibus, & diligenti ~~verbi~~ divini verbi conſideratione tranſigi poſſe. Sæpe numero alias quoq adhortata est, ut Secum Dominū comprecarentur. Parentibus Se obſequentem, & Submiſſam præbuit. Quando autem facere aliquid jubebatur, unde male timebat animo, Submiſſe recuſavit. Ita nunquam Sibi perſuaderi paſſa est, ut una itaret in loca ea, in quæ comeſſationis, & compotationis cauſa homines convenire Solent; Sed graviter denunciavit impendentia animæ pericula, quorum metu ab his circulis retraheretur. Contra omnia monita, quibus ad pietatem provocabatur cupide admiſit, cæleſtem veritatem audiendi, & commendandi alijs Studioſiſſima, luminisq inſtar cæteris puellis prælucens: ex quibus nonnullis Suo exemplo, verbisq ad Chriſtū dux fuit. Pridie, quam in morbum, quo ab hac vita diſceſſit, delaberetur, audiebat die Dominica explicantem in Schola Marci XIV. 12.-16. præceptorem: ex quo Sermone, cum illi verba quædam excidiſſent de præparatione Sponſæ ad agni nuptias, ingentem coepit voluptatem. Poſtridie decubuit.

Paucis interjectis diebus, invisebat illam Præceptor; cui cū mater narraret, male medicum solari, & profiteri, vix fore, ut filia revalesceret, id ~~ab~~ illa audiens subrisit. Interroganti præceptori, cur tantopere lætaretur; respondit matrem dixisse, quod moritura esset. Ille: an tantopere mori cuperet? Lubentissime illa inquit. Ob quam caussam pergit rogare præceptor? illa: ita se à prava peccantium multitudine liberatum iri. Præceptor porro: quo ventura esset? ad Servatorem meum, ait illa, in coelum; ubi melior foret status quam in hoc mundo. Et hujus generis multa alia admodum pia prolocuta est. Hanc lætitiam & promtum moriendi animum per aliquot dies retinuit, tempusq canendo & precando transegit. At deinde magna illam tristitia invasit. Præceptori, qui eam denuo invisebat, de caussa mœstitiæ inquirenti, multis cum lacrymis respondit: num certo in coelum ventura sum si morior? Præceptor interrogabat, unde hic timor oriretur? Illa: in Sacris litteris haberi, neminem sine culta sanctitate Deū conspecturum, nec quicquam, quod immundum sit in cœlestem Hierosolymam ingressurū! Atqui se multis peccatis pollutam esse; se in hunc usq diem nondum vere amasse ~~Deum~~ Dominum Jesum; se admodum imbecillem, & infirmam ad amorem concipiendū esse; quamquam optaret, ut id faceret, & Dominū Jesum vere & toto pectore diligere posset. Proposuit igitur ei Præceptor amorem erga nos Dei, & Domini Jesu & hunc precari jussit, asseverans: spiritum Sanctum Christi amorem in ipsa, si hunc desideraret, & precibus expeteret, libenter effecturum. Acquievit illa in dictis & læta iterū Deo fidere coepit. In quo statu consolatione verbi divini, & canticis sustentata, & confirmata fuit. Tertio ante mortem die, remotis arbitris, cum ardenter Deū precaretur

Sub precibus obdormivit. Visa Sibi est in Somnio coram lecto videre Stantem Servatorem, & hilari vultu vetantem timere; quamquam moritura esset, Salvam tamen ipsam fore. Cum evigilasset, Statim id matri, & postea præceptori quoque magna cum lætitia, renunciavit, hortata præsentes, ut hunc Secum ~~Secum~~ cantarent hymnum nuptialem: quam pulchre lucet nobis phosphorus &c. Sese enim totam cum Domino Jesu copulaverat, Sponsum illum Sibi fore, & Se illi vicissim Sponsam. In hoc læto Statu mansit animus usque ad vitæ finem, Sub quem hæc verba pronunciavit: Domine Jesu, meum cor! & his verbis extremum vitæ Spiritum edidit.

Beatæ puellæ ex hac vita decessus, & quæ Sub eum evenerant, à præceptore in cœtu condiscipularum enarrata, plures excitarunt ad pietatem. In primis id contigit puellæ Septenni, operarij filiæ, quæ domum reversa parentes Sic lacrymans adlocuta est: dilecti parentes, dilecta Soror N. mortua est, utinam & ipsa brevi finirem vitam & ad illam in cœlum pervenirem! Deinde narravit illis, quid ex admonitione, quam in Schola audiverat, retinuisset. Ex illo tempore puellæ animus valde mutatus adparuit. Omnis enim Sermo, & vitæ actus ejus plane diversus à pristino fuit, adeo, ut parentes hunc etiam mirarentur. Modeste Se in Schola gerebat, Summoq cum diligentia docentes audiebat, magnam Sub divini verbi explanatione lætitiam ostentans. Cum aliquando explicarentur verba hæc: Esto fidelis usque ad mortem, tum dabo tibi coronam vitæ; & ex iis de æterna vitæ gaudiis ageretur, operte præ se gessit Singularem delectationis Sensum. De hoc interrogata hilarissime indicavit desiderium animi, cœleste hoc gaudium, & coronam vitæ

appetentis, & optantis, ut illa jam potita esset! Quos domi Serebat Sermones, eò Spectabant omnes; ut adeo Simplex Sed pia puellæ oratio parentes raperet in admirationem. Regressa aliquando ex Schola querebatur: quàm lutosus est mundus: in cælo omnia pulchra erunt: utinam ibi essemus! Prætereũte homine ebrio, gemebunda, vultuq pallescente dicebat: Ô miserum hominem, ita vagantem, ac neq de cælo, neq de Orco Solicitum! Preces non Solum cum parentibus fundebat, Sed Sola etiam, Suisq verbis, quibus & Deo Se, parentes, & præceptores, quemq pro animi conditione, commendare Solebat, rogans inter coetera, ut impertiret præceptoribus patientiam, quo etiam erga Se patientes essent. Paulò antequam morbo corriperetur, quo hanc vitam amisit, à matre in angulo Sedens reperiebatur, ubi complicatis manibus decantabat hæc carminis cujusdam verba: Nos teneri palmites Sumus, vitis ipse es (Jesu!) cui adhæremus, accrescimus ferimusq fructum &c. Deinde apud matrem prædicabat gratiam Domini Jesu, quod nos pro palmitibus haberet, Seq appellaret Vitem, in qua debemus fructum ferre. Unde non obscure intelligitur, quanam in re puellæ animus omni hoc tempore occupatus fuerit. Cum ita tenerã hanc plantam tam bene huc usque coluisset Dominus, paulo post patuit, velle ipsum mature eam ne corrumperetur, ex prava hujus mundi Solo in beatam transferre æternitatem. Itaque in febrem incidit, quam tumor, quo altera, quam æmulabatur, extincta fuerat, & vehementes dolores exasperabant. Nihilominus non modo in patientia perseverabat, Sed pro desiderio Domini Jesu exsolvi etiam cupiebat corporis vinculis, non Sine magno gaudio cogitans diem futuri discessus sui. Dictitantibus nonnullis, ipsam Solandi causa: fore ut revalesceret, respondit: absit hoc! malo mori; ita enim ventura Sum ad dilectum Servatorem meum. Quidquid præterea loquebatur, tam Seriũ erat & plenũ fidei & amoris Dei, ut omnibus id mirum videretur. Apud præceptores, qui ad eam

ventitabant, teſtificata est, quam bene Secum Deum agere arbitra=
retur, quippe qui immiſſo hoc morbo pro ingenti Sua gratia,
animā ipſius exitio eripere quæreret. Rogabant: an Dominum
Jeſum noſſet? Læte ad hæc illa: Ah Sane! ille rex meus, me=
us paſtor Sponſusq; meus est; ad illum poſt mortem perven=
tura Sum. Quæ Verba aliquoties repetiit. Porro interrogabatur:
quid ab illo accipies? Vitæ coronam reſpondebat. Illi: quid
amplius? ipſa: candidas veſtes. Cujus generis multa alia
inter Summos corporis dolores prolocuta est; omnes qui
viſitatum eam Veniebant, adhortans ut pii eſſent, & Dominū
Jeſum amarent, quo mortui in cælum Venirent. Volebat etiā
iisdem Verbis condiſcipulas moneri. Accedente præceptore
priſtino, teſtabatur magnū gaudium, recordata Joh. XIV. 6.
quibus verbis ille olim in aliam Scholam commigraturus, diſci=
pulis valedixerat. Exclamabat: Jeſus mea etiam Via est, mea
veritas, Vitaq; mea, & per ipſum ad patrem accedam. Adduxe=
rat alius præceptor quasdam puellas condiſcipulas ejus. Dicen=
te igitur quodam: quid agere has apud Se Vellet? reſponde=
bat illa: diſcere eas ex me Volo; porrexitq; illis manum,
Sed præ magna imbecillitate nihil amplius eloqui potuit.
Pridie antequam hæc Vitæ ipſam deficeret, Vocatus Venit
præceptor. Huic, cauſam, cur accerſitus eſſet, Sciſcitanti, dixit:
trades me jam precibus tuis Servatori meo, meq; illi Sacrifica=
bis. Invocante igitur illo Dominum, magno cum ardore compre=
cabatur. Augeſcente dolore, cum quidam deploraret illam,
reſpondit: ceſſabit dolor meus, me in cælum Veniente. Inter
hæc magnam quidem Videbatur Subire luctam, Sed Statim
tamen Sub ea Vincere, largiente Servatore victoriam. Illu=
ceſcente lethali die, læta voce clamabat: nunc parata Sum;
porrigite mihi Veſtes meas induam illas. Quo properaret?
rogabat quidam. Illa: ad Sponſum meū Dominū Jeſum
tendo. Præceptor addebat: si parata Sponſa est, licet ei

abire; exſpecta modo patienter, brevi ad finem itineris pervenies; o quam humane blandeq te Sponſus tuus excipiet! &c. Ad hæc illa præ deſiderio valde ſuſpirabat. Cum eſset in magno dolore, matrem compellabat: da mihi quæſo librum meum, oportet me canere Deumq laudare. Solabantur illam: mox ipſum in coetum angelorum, nec non ad Sororem N. venturam, ubi foret, ut Deum ſemper laudaret & prædicare poſset. Quibus verbis ſe tranquillari paſsa eſt. Quoniam pater, ipſa adhuc recte valente, peregre abierat, vehementer cupiebat, ſi id ferret Domini voluntas, ſemel eum reviſere. Id contigit, Deo ita gubernante, ut paucis horis ante mortem ejus domum rediret. Amanter igitur illum excepit, valedixit ipſi, matri & coeteris, qui aderant. Præceptor vero, cum ipſum etiam valere juberet, rogabat: annon reviſurus illam eſset? nequaquam in hac vita reſpondebat illa, ſed in cœlo. Paulo ante finem vitæ pater cum illa hoc carmen cantabat: *Vehementer gaude anima mea* &c. ubi illa mirantibus omnibus, clara voce & cum ingentis lætitiæ ſignificatione concinebat. Finito hoc cantico ajebat pater: canemus adhuc pulchrũ carmen de paſsione Chriſti. At illa interpellabat ejus ſermonem, voce concitata exclamans: nequaquam! nunc tranquilli eſtote; cœleſtis currus adeſt, oportet me abire. Siſte curſum, o! o! [ſc. ô currus ut te conſcendere poſsim] cum his verbis eo momento animam efflavit: quod præſentes in magnam rapuit admirationem.

Paucis præterea verbis aliud par condiſcipularũ memorabo, quas non minus paratas Dominus ex hac vita ſubduxit. Altera Rev. D. Hernſchmidij, Prof. Theol. ord. Collegæ dilectiſsimi; Altera Rev. Wieglebij, in Suburbio Glauchenſi Sacrorum Miniſtri, ibiq Succeſsoris mei, filia erat. Utriusq vitæ curriculum cum Sermone fũebri typis impreſsum, & ſcholæ

noſtræ alumnis diſtributum fuit. Illa à teneris unguiculis docilem se ad moris Chriſtiani diſciplinam oſtendit; infanti pene carmine Chriſtum Suum celebrare voluptas fuit Vbi huc venit cum Rev. patre, ſtatim Scholæ noſtræ fit alumna. Heic Sub prima Catechetica exercitatione, cui argumentum ex Matth. XIIX. 23. Sqq. pericope Evangelica Suppeditabat, tam cupide excepit, quæ de amiſsa imagine Dei, & de virtute delentis peccata Sanguine Chriſti dicebantur, ut viſa Sit, quod de vera poenitentia adferebat præceptor, ita interpretari, tanquam ipſa Sola peccans illa femina eſset. Hanc mentem deinceps conſtanter retinuit, delectata doctrina de Chriſto, quam ex ore docentium, quaſi dulce quoddam lac hauriebat. Exemplo condiſcipulas, magiſtras obſequio, & Studio excitabat. Vbi quasdam Secus, ac decebat, Se gerere videbat nutu eas monebat officij; unde, illa præſente, cæteras puduit ineptire. Audita, jubente præceptore, precibus complecti, & coram coetu Suo recitare Solebat: in qua oratione non minor Simplicitas, & animi Submiſsio quàm ardor eminuit. Domi hoc præſertim factitabat, fratribus & Sororibus enarrans, quæ didicerat in Scholis, ac addens Subinde, volente patre, Supplicationem, qua repoſitum in animo theſaurum plenius in lucem proferebat. Tanta autem fuit Scholam adeundi, & in ea tractandi cæleſtia cupiditas, ut Sæpe impetum morbi, quo cum à pluribus annis conflictabatur, diſsimularit, ne juberetur domi manere. Quando autem aggraveſcens imbecillitas illam vi detinebat, tum, ne quod damnum ex abſentia caperet monita, quæ præceptor in locorum S. Scripturæ explanatione propoſuerat ex Sororum Schedis deſcripſit, retulitq. in librum, quem in hunc finem confecerat. Poſtquam Scholam noſtram frequentaſſet anni ſpatio, quod morboſa pater precatus erat, exhauſtis

lenta ægritudine viribus, tandem Succubuit infirmitati. Cum animadverteret ille, non procul filiam à morte abeſſe; indicavit ipſi, Se morbum ducere periculoſum: accingeret Se ad beatam ex hac vita migrationem. Illa lubenti animo, quod hortabatur, accepit, id modo queſta: Se non feciſſe Sæpiùs, quod Sibi Subinde veniſſet in mentem, nempe Secedere in Angulum, & flexis genibus, veræ pœnitentiæ à Deo expetere facultatem, cum dixiſſet præceptor: qui beate Sit moriturus, eum antea reſipuiſſe oportere. Mox litterulas Scripſit aviæ, & Idſteinienſi virgini principi, cui virtute cara fuerat. Valere eas jubebat, Significans ſeſe parare ad obitū fœlicem. Inviſebant eam & Rev. patris amici, & præceptores, quorum colloquio valde gaviſa, & cum ipſis Suis verbis comprecata est. Cum Rev. Wieglebius de beatitate morientis Sub gratia Jeſu diſſeruiſſet, læta: nunc minime amplius, inquit, mortem metuo, cum audiam, ſatis me reſipuiſſe ad cœlum intrandū, & Dominum Jeſum fidem ſpectare. Deinde cum intelligeret, dilectos parentes ad S. cœnam accedere interrogavit hos: anne Sibi etiam ætas illius uſum permittat? Paullum Spei pater oſtendebat. Illa autem, propoſita mortis propinquitate, non deſinit hoc amoris divini Sacramentum efflagitare, donec illud impetravit, antegreſſo examine, Singulari de ſtatu animi confeſſione, & precatione ardentiſſima. Pridie antequam vita excederet venit ad illam præceptor & Solatij argumentum Subminiſtravit ex Apoc. XXI. 7. ubi Dominus ait: *Victor poſſidebit omnia, eique ego Deus ero, & ipſe mihi filius erit.* Quibus verbis, quæ poſtea orationis funebris materia erat, illa admodum recreata fuit. Inſequuta nocte inſomnis & ægritudine feſſa jacebat; oblectabatur tamen patris precibus & cantu, quem nolebat ceſſare. Nocte ~~altera~~ ultra medium progreſſa, intellecto mortis confinio, ingreſſus ille

Muſeum eſt, & Deum, ut moribundæ dolores breviaret, rogavit. Vix id pergerat, cum à filia revocaretur, ut precari pergeret, piaq; canerentur carmina. Inchoato igitur carmine quodam, & continuato ad hæc verba; *ita evehar ad Dominū Jeſum*; compos mentis & ſenſuum paullulum ſuſpirans, ſine dolore, intra pauca momenta ſpiritum emiſit, more properantis ad ſponſum cæleſtem. Annos vixit undecim.

Wieglebia illi tres annos ſupervixit, ſimilis ei & primæ ætatulæ pietate, ac Scholaſticæ inſtitutionis fructu. Atque canticis, quæ in Schola tradiderat memoriæ, & quæ in quemq; diem Dominicū frater, qui paulo ante, quàm Noſtra, vitam hanc deſeruit, compoſuerat, ductu illius, domeſticum otium interpolabat. Luſtrationem Scholaſticam avide exſpectabat, deſiderio libelli, qui tum dono ſolet dari. Hunc, & cæteros, quos à patre accipiebat, non ſibi tantum legebat, ſed lecta ſolerter tradebat aliis, quibus cum verſabatur. Incidit aliquando in Lundij Sanctuariū Judaicum, antiquitatum Judaicarum theſaurū præclarum, in quo opere non id ſolum, quod placet huic ætati, nempe picturas, quibus Leviticorū Sacrorū adparatus ob oculos ponitur, inſpexit, ſed maxime in his umbris Chriſtum ſcrutata eſt, inventumq; aliis monſtravit. Dehinc adflicta valetudine, cum morbo, Atrophia, bonorū librorum, &, quam hi continent veritatis divinæ amor & precandi ſtudium crevit. Hoc tempore, quod mireris, in juvencula nihil, quod mortis metum arguat, adparuit: contra quoties de hac re interrogabatur, toties reſpondit: ſe malle mori, & una cum Chriſto eſſe, quàm vivere in terris, ubi plena omnia malis, & peccandi illecebris eſſent. Cum aliquando lacrymaret, & ii, qui aderant, eam lugere abruptam vitæ ſpem ſuſpicarentur; his verbis errorem correxit: nolite exiſtimare, me plorare, quod moriendum mihi ſit; ideo profundo lacrymas, quod nondum parata ſatis ad mortem ſum; cæterum aveo ex hac vita diſcedere. Illi ſolabantur eam: ſe ſimul Deum rogaturos, ut pararet ipſam ad abitū. Tum illa conquievit. Quo propius mors inſtabat, eò magis aucta ejus moriendi voluntas. Sæpe accerſivit patrem, ut ſecū implorarent

Dominum, ad quem mox abitura erat. Inter hæc in Summa Sanctissimaq Securitate exspectavit vitæ hujus finem, quem manu corpo admota, Sæpe percontabatur, tandemq subito obdormientis adinstar consequuta est, cum hæc Verba hymni cujusdam canerentur: Vos, cunctæ Virgines Sapientes, jam tollite in Sublime caput, cum jubilo ad gestientem Angelorum chorum contendentes.

Multa alia hujus generis exempla, quæ Sub curatiore nostræ juventutis institutione non raro eveniunt, in medium proferre possem, Si id Epistolæ modus pateretur. Hoc certe usu experimur verum esse quod olim Lutherus censuit: Si rem Christianam emendari cuperemus, id parvulos rectius erudiendo efficere nos oportere. Nondum peccandi consuetudine tenera pectora adeo durata Sunt, & aversæ à virtutis disciplina aures, ut hanc Sibi incassum Sinant commendari, recusentq audire, & Sequi tam Suavem cælestis Sophiæ vocem.

V.

Hactenus de cultura juventutis. At ætate provectioribus non minus Suam gratiam Deus in hoc loco curat offerri. Ne dicam de aliorū opera, meoq labore urbano, bis Singulis hebdomadibus doceo in Orphanotropheo omnis ordinis, Sexus, ætatis conditionisq homines, tradens & inculcans ex Sacris literis Deum quærendi inveniendiq modum. Inde ab initio instituti, præter alias S. Scripturæ particulas, pertractavi Psalmos Davidis, Evangelicæ historiæ Scriptores, Matthæum, Marcū, Lucam, & jam in Johannei Evangelij explicatione versor. Ratione docendi utor populariore, & Simpliciore; qua, Numine dicta fortunante, cui & omnis tribuitur effectus, multos ad Deum conversos esse Scio, quibus plures forsan Sunt, quorum me fugit ad frugem reversio.

Diebus Dominicis in idem Orphanotropheum, absolutis Sacris publicis, confluit ex urbe turba hominū, eorum maxime quos impedimenta non Sinunt audire adhortationem illam, quæ diebus profestis à me pronunciatur. Hos alterna vice.

R. D. Hernſchmidius, & Inſpector Hoffmannus imbuunt divinæ veritatis Scientia; ille ductu hiſtoriæ Apoſtolicæ, hic ex libello Speneriano, de Sincero Evangelij lacte inſcripto; unde proferuntur adeptæ Salutis bona, & gratiæ theſauri, quorum explanatio multum valet in animos, eosq facilius, quam acerrima virtutis commendatio, reprehenſioq vitiorum, flectit & inſtigat ad Deum colendum. Hæc exercitatio inchoatur cantico & precibus, eodemq modo finitur. Loca Biblica quæ citantur, modo viri, modo fœminæ, loco ab illis Separato, evolvunt & recitant ad acuendam attentionem.

Dudum quoque cives & opifices quidam, Sed pij & boni ordinis non incurioſi; cœperunt certa hora convenire in conclave aliquod Orphanotrophei; ubi lectitant S. Scripturæ pericopen, hoc tempore ex Marci hiſtoria Evangelica, & depromtis ex ea monitis, Se invicem ad perſeverantiam in recto propoſito, majoremq contentionem virium provocant. His adeſt Inſpector, qui moderatur conventum proſpicitq, ne quid contra ordinem fiat. Initio per cantica, & precationem facto, quisq meditata proponit, & deinde in genua procumbentes invocant Dei auxilium ad Vitam cognitæ Veritati convenienter tranſigendam.

Complures domi etiam cum Suis, Statis intervallis vel etiã Sub operæ perfunctione quotidianæ pia concinunt, Seque Sacris delectant carminibus, conticeſcentibus impuris cantibus quibus urbs olim perſonabat. De his exercitamentis civium noſtrorũ, aliorumq quod tulit judicium Vir Pontificius notabile eſt. Is, dum in itinere heic aliquot dies commoraretur, aliquando Veſpere ex Suburbio Glauchenſi Veniens ad Profeſſorem juris celebrem, narrat: Se non mirari unde hæc academia & urbs tam cito effloruerit; audiviſſe Se in omnibus pene ædibus precantes & cantantes Sacra Carmina, unde non

possit non Deus propicius esse huic loco. Quod judiciū Pontificij hominis ille Professor, cum a magistratu Academico abiret, dignum judicavit, quod publice exponeret in oratione solenni de Fortunis Halensibus, quæ typis postea exscripta fuit. » Dicam, inquit, quod res est, obstupescunt ipsi etiam hostes tui, Fridericiana, si tuorum instituta vident, quibus correpti mortalium »
animi ad poenitentiam probitatemq; excitantur. Verum fateor, »
Vir peregrinus eximiæ dignitatis, sed à nostratium dogmati= »
bus admodum alienus, haud ita pridem per urbem hanc, vesper= »
tino forte tempore, ivit. Rediit ad me, sed animo prorsus com= »
moto & valde commutato. Proh! Deum, inquit, ex suburbio »
[Glauchensi] redeo: neq; causas nunc miror, divinæ in Acade= »
miam vestram benignitatis. Vix ad tertiam quamq; domū »
accessi, in qua voces alias precantium, alias laudantium concentibus »
Deum non offendi: quid? quod campos & agros divinis hymnis »
audivi personare.

VI.

Injeci in superiore epistola mentionem Bibliothecæ. Hujus usus publicus, qualis ibi describitur, etiamnum conceditur. Præter alia incrementa, nuper testamento accessit apparatus insignis Liberi Baronis à Canstein, singularis olim institutorum nostrorum fautoris, & adjutoris, qui ante bienniū & quod excurrit, ex hac vita excessit. Bibliotheca ejus Berolino in Orphanotropheum deportata est, ubi conjuncta cum pristino apparatu, & supellectili litterario, quem M. Achillis [vir tam solida eruditione, quam impensiore sanctitatis studio præditus] qui pluribus locis Doctoris Evangelici munere religiose functus, senex non infructuosus Orphanotrophij nostri incola fuit] ex hac vita migrans, nobis donavit, ad tantam pervenit amplitudinem, ut spatiosum conclave, reponendis libris destinatum, volumina capere nequeat omnia, necesseq; sit novam ei parare sedem; in qua constituenda & securitatis & commodi usus ratio habebitur.

Inter litteraria hæc Subſidia referri etiam poſſunt, quæ his annis acceſſerũt, Templi Hieroſolymitani, urbis Sanctæ, Paleſtinæ & Tabernaculi Moſaici in Tabulis ligneis, decem circiter ped~~ibus~~es longis, latisq;, ad minutum modulum conſtructæ, & ex idoneis documentis, ac juſta proportione adornatæ repræſentationes. Expertus æneorũ Tabularum obſcuritatem dudũ optaveram, ut tale aliquid ad Levitici cultus, & Geographiæ Sacræ illuſtrationem concinnaretur: quod perfecit tandem R. M. Semlerus Collega in divini Verbi miniſterio, vir Mathematicis diſciplinis eruditiſſimus. In Veſtibulo Tabernaculi illius universa etiam Supellex ejus, materia ac genera Sacrificiorũ conſpiciuntur. Paleſtinæ figura habet urbes & villas notabiliores, montes, maria, fluvios: quibus brevi accedet deſignatio itinerũ Abrahami, Jacobi, Davidis, Chriſti; additæ paſſim sunt imagunculæ, indicia rerũ illuſtriorũ, in pluribus locis geſtarum. Experimur, difficultatem & confuſionem, quam memoriæ similitudo figurarum in chartaceis urbium catalogis conciliat, hac diſſimilitudine, & notis diverſarũ rerum tolli, & oriri in animo diſtinctius, & jucundius Sacræ regionis simulacrũ, non mediocre in legendo S. Codice adjumentum, & invitamentum lectionis. Hæc monumenta & aliam præſtant utilitatem. Judæi, quorũ magna turba hic degit, præter eos, qui aliunde populares inviſendi gratia accedunt, hoc ſpectaculo invitati confertim cum cæteris Orphanotropheũ ſpectaturis accurrunt, ad patria inſtituta ipſis oculis quodammodo uſurpanda; quibus conſpectis viſu haut satiari poſſe videntur, tam sæpe recurrunt, & hoſpites interque eos Rabbinos & alios ex longinquis sæpe regionibus venientes, ad tam jucundum Spectaculum secum adducunt. Qui hæc præſtituto tempore monſtrat, tam commode utitur occaſione ad tentandam obducti oculis velaminis remotionem. Oſtendit subinde impreſſa in Sacrificiis & aliis ritibus Veſtigia Meſſiæ, & vitæ Chriſtianæ: memorat summam illam rerum omnium converſionem, maxime tot gentium pro Vanitate Idololatrica Veri Dei cultum admittentium religioſam contentionem, per Chriſtum, nulla vi, sed ejus sermonibus & miraculis excitatam. Præterea adfert alia quoq; argumenta pro re nata, eaq; cũ humanitate & teſtificatione amoris inculcat. Deducuntur Judæi etiam cũ reliquis per

[illegible]

Scholas in quibus pueri puellæq; de pietatis Chriſtianæ capite quodam interrogati ex tempori illud ſuis verbis explanant. Obortæ hic ſæpe Judæis lacrymæ ſunt, tam accommodate ad ipſorum ſtatum parvulis reſpondentibus. Una fere hæc opportunitas ſupereſt, refugientibus noſtra ſacra Judæis offerendi & probandi doctrinam & beneficia Domini noſtri Jeſu Chriſti. Dicta heic æquiores plerumq; nanciſcuntur auditores, animis admiratione præſentiſſimæ providentiæ divinæ perculſis, & ab avita pervicacia tantisper dimotis. Certe nonnunquam obſtinatiſſima adverſus veritatem gens facilius divina in his inſtitutis bona agnovit, quam multi alij inter Chriſtianos, qui invidia, livore, & odio recte factorū ſe ſinunt cæcari.

VII.

Seminarium præceptorum, quod olim meditabamur, aliqua ex parte nunc ſatis bene conſultum est; unde jam proveniunt Pædagogij regij, & quibus hujus magiſtri deinceps præponi ſolent, Scholarum exterarum præceptores. Hoc unum, quod & ad alterū Seminariū parandis Eccleſiæ miniſtris dicatum pertinet, querimur, vix nos tot adornandis Magiſtris & Miniſtris rei Chriſtianæ ſufficere, quot petantur. Vix enim copiolæ quædam à nobis collectæ ſunt, cum ſtatim adſunt, qui earum copiam ſibi fieri volunt.
In præſentia omnem muneris noſtri conatum eò convertimus, ut ingenti fidos operarios expoſcentium multitudini ſatisfacere poſſimus, & multi recte inſtituti & pleni ſpiritu divino juvenes in promptu ſemper ſint, ut, vacante provincia, plures ſiſti queāt ad experimentum, in quorum delectu non ab-erretur ab idoneo & fideli miniſtro.

VIII.

Captum à Sociis collegij Orientalis opus Biblicum anno 1720. ad finem optatum perductum est; celeriorem editionem remorantibus variis impedimentis, in primis authoris valetudine adverſa, multiplicatisq; ejus laboribus & Sociis ad publica munera avocatis. Editus codex Hebræus triplici forma, ſed iiſdem typis, est, cum tribus voluminibus, ſeparatim excuſſis,

in quibus copioſiores ad Hagiographa adnotationes reperiuntur.

1702. initium fecerunt, non magnum opus illo tempore molientes, sed comparationem Codicum variorū, maxime Mstorū, ad prohibendum à nova Editione mendas, si fieri poſſet universas. At hortatu virorum prudentium, & cupidori commodioris operis exegetici, quo adhuc carebat juventus, initio perpaucula subijcere notas, deinde vero longius progredi in commentando cœperunt.

Primo enim operam dederunt, ut orationem Hebræam quàm diligentiſſime emacularent. Itaque contulerunt inter se tam typis exſcriptos, quam manu exaratos codices, quotquot haberi potuerunt, suppeditati illis inter cæteros sunt Erfurtenſes codices, inſigne antiquitatis monumentum, de quo unus ex Socijs edidit diſſertationem ~~non perfunctoriè~~, quæ hiſtoriam illorum comprehendit. Hanc Codicum comparationem non perfunctoriè, sed summa cum cura inſtituerunt, directam non solū ad verba, ad singulas literas, vocales & notas reliquas. Hoc pacto quamplurima vitia, quæ in præſtantiſſimas editiones quoq; irrepſerant, evitata sunt.

Deinde sub plerorumq; capitum initiis adnotarūt summam ejus, & diſtributionem: quam excipiunt Scholia & expoſitiones in margine adjectæ & ea brevitate concinnatæ, quæ libro nec molem nec obſcuritatem creat; quales dudum viri intelligentes expetiverant, rati eas maximo adjumento fore pauperibus, quibus deeſſent præſidia, ad vaſta interpretū volumina redimendum.

Acceſſit sic dictus ὁ παραλληλισμὸς, partim eadem verba vel his cognata finitima contrariaq; diverſis locis modo clariorem, modo obſcuriorem senſum habentia, partim ejusdem rei variam complectens deſcriptionem. Magnū hoc ad intelligentiam Sacrarū literarum adjumentum est: quemadmodū

Operis Architectus Rev. D. Michaelis, Theologiæ & linguarū Orientalium Profeſsor ſancte adſeverat in Proemio: hoc unum adminiculum, inquit, ſub piis precibus & attenta locorū inſpectione tantum præſtitit in difficilioribus rebus & verbis rectius intelligendis, quantum vix aliud ullum etſi non ſpernendū ſubſidiū.

Porrò ex Orientalibus verſionibus, nec non Græca LXX. attulerunt multa ad illuſtrationem verborum Hebraicorū, ubi difficultas aliqua ſuberat, tollere eam laborarūt, adhibitis in conſilium aliorum ſcriptis.

In primis autem explicandis vaticiniis, aliisq locis Evangelicis, ſummam adplicaverunt induſtriam, & ſedulo, quantum in ipſis fuit, caverunt, ne latentem illic, & ſæpe ſuaviter emicantem Chriſtū, S. Scripturæ nucleum, prætereant lectores. Sic quæ in N. Teſtamento tanquam de Chriſto dicta citantur, proprie de eo intelligenda intellectaq olim à Judæis fuiſse luculente oſtenderunt; refutata illorū opinione, qui hæc Chriſto tantum per adplicationem quandam tribui contendunt.

Sub finem cujusq paginæ exſtant Maſorethicæ notæ eæq ſelectiores, magno cum ſtudio, ex pluribus Codicibus Mſtis emendatæ, omiſſa autem ſunt vafra multorū interpretamenta cum figmentis & ſomniis Judæorū, quæ ſolicite plures interpretes coacervant collectaq ab aliis repetunt, & ad poſteritatem ac in alias diſciplinas propagant; unde loco alieniſſimo, e. g. pro concione, inepte proferuntur, non ſine damno auditorū, quorum mentes his nugis occupatæ avocant à ſerijs cogitationem.

Noſtris ſufficit, ſimplicem ſenſum indagaſſe, & expoſuiſſe fideliter; quamquam in operoſiore genuini ſenſus explicatione reſpexerint ſimul ad falſi refutationem. Id quod maxime iis in locis factum eſt, ubi irriſores divinæ veritatis ſe invenire putant, quod vertant in ludibriū. Licet enim longa captiuncularum enarratione ſuperſederint addunt tamen, quæ lectorem, qui inciderit in illas, ſi cordatus veri in~~dagator~~quiſitor fuerit, facili poterunt expedire.

« Unde patet, egregium hunc eſse ἐξηγήσεως theſaurum, ut pote in quem comportaverint lectiſsima quæque ex omni ſuperiori ævi obſervatione: pro quo beneficio Deo ex animo gratias agimus.

Ad idem inſtitutũ juvandi provehendiq; Orientalem litteraturã, ſub quo opus hoc Biblicum conditum fuit, referri quodammodo poſsunt reverſi ex Roma in hanc Academiam celeberrimi viri, Salm. Negri, Damaſco oriundi occupationes. Verſatus jam olim heic fuerat ultra annum, illoq; tempore inter reliquos diſcipulum habuerat Cl. Michaelem, ſupra memorati cognatum, jam bene de juventute noſtra merentem Profeſsorem. Denuò autem huc adpulit ſub ver anni 1715. ſtatimq; operam ſuam in juvenum quorundam inſtitutione collocavit; ſub qua illi cũ rudimentis linguæ Arabicæ ſenſum Corani, quem explanavit totum, perceperunt, nonnullis etiam in ſcribendo & loquendo illo auctore & duce, ſeſe exercentibus transferentibusq; in hanc linguam Cathechiſmum Lutheri, & volumen loquendi formularum. ſub hac, quis fandi cum eo tempora narrant, magnam Orientaliũ & aliarum rerum notitiam, illo narrante poterant adipiſci.

Sed quia adflicta admodum valetudine vir erat, exacto ſesquianno, ſub autumnũ 1716. in Angliam remigravit, Mansit illic per unum, duosve annos, & poſtea Lutetiam Pariſiorum petiit. Inde regreſsus in Angliam operam jam navat perficiendo laudabili conſilio ſolicitæ de amplificanda Chriſti cognitione Societatis. Editur Novum Teſtamentum Arabicũ, impenſis à Societate procuratis, cujus exemplaria deferentur in Orientem, ut Chriſtianis, quibus hæc lingua in multis regionibus vernacula eſt, gratis diſtribuantur. Totum inſtitutũ, quod nec Te ignorare puto, in libello deſcriptũ eſt, quo lecto ego valde exultavi; ſperans, hac via multorũ ignorantiæ, & ſaluti conſultum iri.

Poſt Salomonis noſtri abitum, alius vir Orientalis, Europæis non minus diſciplinis quam patrijs linguis, excultus Carolus Rali

Dadichi, Aleppenſis, ad nos ex Roma venit. Hic cū Germaniam tanquam viator percurrere, & inde per Angliam ad Suos properare decreviſſet, heic tandem Subſtitit per integrū annū, & partim Salo. Negri diſcipulos, partim novitios, præter Arabicam linguam, docuit quoq Syriacam, & Perſicam. Tranſacto anno Lipſiam, & porro per Belgium in Angliam iter inſtituit.

Non exigui Sumptus in hanc Virorum Orientaliū operam facti Sunt, eo fine, ut etiam ab his proferendæ veritatis cœleſtis præſidiis inſtructi nonnulli eſſent juvenes, qui, Deo modo hac litteratura cum fructu utendi monſtrante, adhiberi poſſent ad uſum Eccleſiarū Orientalium, quas quisq, qua poteſt ratione, juvare libenter debet. Fateor Spem fructus inſignioris non adeo manifeſtam eſſe; Sed dum vel minima ad eam rem præſidia, Deus in anteceſſum comparandi occaſionem offert, grati utimur illa non dubitantes, quin majora, & ea quibus Succincti negotium ipſū aggredi poſſimus, Suo tempore Sit Subminiſtraturus, pluribus eo animū intendentibus, & præſertim iis, quibus per commercia facilior patet via. Interea quamvis nullus eorum, qui noſtris impenſis has linguas addidiſcerunt, aliquid ad publicam veramque utilitatem conferret, operæ tamen pretium cum uſura Satis ampla reddidit cl. Profeſſor Michaelis, junior, qui ex hac inſtitutione in noſtram Bibliorū Editionem intulit plurimum lucem, inter reliqua ab Arabica lingua & Arabicè Scriptis Verſionibus S. Codicis petitam. Accedit, quod Dadichiana diſciplina non mediocriter profecerit Schultzius ille, Ziegenbalgii, & Gründleri in Indica legatione Evangelica Succeſſor, cui apud Mohammedanos, quos in illo tractu frequentes eſſe dicunt, hujus linguæ & Alcorani intelligentiam uſui fore Speramus.

IX.

Ut redeam ad inſtituta noſtra Scholaſtica, à quibus ad Vicina Latinis Scholis Seminaria digreſſus fueram; Supereſt, ut quo ſtatu nunc Pædagogium regiū ſit, oſtendam. Vulgata Superiori

anno de ejus institutis narratio, eiq; adjecta est hoc anno docendi rationis explicatio, ut inde constet publice, quid spectemus, pluresq; hoc exemplo ad tam necessariam Scholarū ~~institutionem~~ emendationem excitentur.

Numerus discipulorū idem, qui erat anno 1714. adhuc est, & multi nobilibus nati familijs adolescentes adhuc ex varijs regionibus in hanc Scholam à suis mittuntur. Advenere hoc tempore nonnulli etiam ex Russia, & in ~~in~~ his fuit Cancellarij Vicarij filius.

Anno 1714. Pædagogium à Rege impetravit ~~suam sibi~~ facultatem suam sibi coquendi cerevisiam. Igitur domum ædificavimus huic usui accommodatam. Sequenti anno cooptati in Seminariū Selectū juvenes, qui ad docendum in Pædagogio præparantur, ex urbe, & suburbio, ubi disjuncti habitaverant in sic dictum collegiū superius, quod domui Scholasticæ versus Orientem adjunctum est, collecti, ibiq; commodum hospicium nacti sunt. Inspector, cui Seminarii cura incumbit, in easdem ædes concessit. Anno 1717. amplus hortus qui in proximo est, & ad Orphanotropheū pertinet, conducebatur pro Scholasticis, qui in eo per totam æstatem quotidie certis horis deambulant in oculis præceptorū & sic convenienti ipsis oblectamento fruuntur. Insequenti anno vineam quoque vicinam Pædagogio, emimus, & illi maximam ejus concessimus partem, pro locario annuo, quale etiam pro habitatione Pædagogij alumni solvunt. Hi in isto solo hortum plantarunt Herbariū, translatis eo herbis rarioribus, quas in remotiori loco antea coluerant. Partem vineæ jam complanant, ut & imposterū ibi exercitia Geometrica possint instituere. Anno 1719. ad latus dexterū Pædagogij, in parte posteriore, sic dicta ala, quæ quarta eaq; ultima est, adstructa fuit. Heic receptaculum ægrotorū est, in quo commode curantur. Nam quatuor ipsis assignata sunt conclavia & totidem cubicula: ubi exstant quoque tornandi instrumenta, quibus reconvalescentes ad corporis motū utuntur. Anno CIϽIϽCCXX securitatis arcendorūq; furū causa, muro Pædagogium circumdedimus, eoq; absoluto, in

anteriore ædium parte collocavimus Janitorem, qui intrantibus exeuntibusq. portam aperit, ac cavet ne quis ingrediatur qui damnum poſsit importare.

Modus imbuendi alumnos Sanctis moribus & litteris sub diuturna obſervatione quot annis in melius mutatus fuit, magnoq. cum fructu diſcentium nunc frequentatur. Pauca ex eo libro, cujus paulo ante feci mentionem, in documentum adferam.

Operæ Scholaſticæ diſtribuuntur in quotidianas lectiones, repetitionem ac præparationem, & in exercitationes laxamenti cauſa Suſceptas. Ad quotidianas lectiones referuntur linguæ, Latina, Græca, Hebræa, Gallica, Theologia, diſciplina litteraria & penſa claſsis Selectæ.

Latina lingua in Septem claſsibus per tres diei horas & dimidiam horæ partem docetur. In quinto & quarto ordine Grammaticæ rudimenta traduntur; in hoc inſuper explicantur Fregeri colloquia Terentiana. Tertiæ claſsis alumnis Cornelij Nepotis Hiſtoria tota intra annum explanatur; at Secunda, in duos diviſa ordines, Julij Cæſaris Commentariorũ audit explanationem, quæ altero ſemper anno abſolvitur. Cum hoc hiſtorico conjunguntur Epiſtolæ Ciceronis, sed Selectiores ex inſtituto Cellarij, & collectæ ab hoc ex Livij & Salluſtij scriptis orationes, ejusdem antiquitates Romanæ, nec non Poemata puriora à cl. Fregero ex Spurcis Gentilium Vatum monumentis excerpta.

Prima Claſsis habet Ciceronis orationes, libros de Officijs, Senectute, amicitia, Paradoxis, Somnio Scipionis & multiplicem Poeſeos exercitationem. De claſſe Selecta, quæ illam excipit, infra agetur. Hæc sunt præcipua scripta quæ in Latina hac Schola tractantur. Ab hac avertimus familiare omnibus pene Germaniæ Scholis profectuum impedimentum, non minimum nempe pro perſpicuis Grammatices præceptis Latinarũ regularũ farraginem memoriæ infigendi neceſſitatem. Congeſſit Rev. Langius

autor Medicinæ mentis libri in Anglia recuſi cum ipſi præter munus Eccleſiaſticum Scholæ gubernatio apud Berlinenſes commiſſa eſſet, ex multis Grammaticis neceſſaria præcepta, eaq; redegit in libellum Germanicè & bono ordine & verbis paucis ſed claris conſcriptum. Facile igitur & jucundum noſtris est ex tam perſpicuo libro haurire Principia linguæ, ~~Latinæ~~ quæ ſæpius evoluta ſibi ſenſim familiaria reddunt.

Quod in Grammatica præcipuũ est, declinandi & conjugandi modus, memoriæ mandatur, reliqua vero ſub illa evolutione innoteſcũt. Quam primum verba aliquot tenent memoria, Latinè loqui jubentur, & corriguntur patientiſſime errantes. Inter exercitia hujus linguæ, quæ varia habemus & quotidiana, referendum quoq; est, quod ſæpe ſub initium lectionum uni negotio datur hiſtoriæ Biblicæ particulam domi præparatis verbis memoriter recitandi. Præterea publicè quoque nonnunquam Tirones colloquium inter ſe inſtituunt. In exercitijs Claſſium inferiorũ elaborandis ſemper præſto est magiſtri opera, ne ſuis relicti viribus, vel tempus inutiliter terant, vel animum deſpondeant incipientes: quamvis & id præcaveatur, ne ſub hac opitulatione pigreſcant, vel inſoleſcant ignorantia infirmitatis, quam experiundi ſubinde occaſio ſuppeditatur. In ſelectione Scriptorum quæ leguntur omittimus ea, quorũ lectio lubricæ ætati offenſioni eſſe poſſit. Ne careant autem Sermonis Latini Theſauro, qui in his ſordibus latere putatur, curavimus puriorem Latinitatem ab impuritate rerum ſecretam ſeparatim edi, & cum reliquis hujus linguæ adminiculis in Scholam introduci. Temporis lucrandi gratia non ipſi auditores, donec rudiores ſunt primum explicare Scripta Latina coguntur, ſed præit Præceptor, cujus explanationem illi repetunt. Explicato penſo, ſtatim formulæ & Periodi ~~Grammaticæ~~ Germanicæ proferuntur, quas alumni ex tempore

in Latinum Vertunt: quæ præclara ad Scribendum præparatio est. Quæ mane exposuit Subinde à meridie verbis Germanicis repetit Præceptor, ut ex templo ea Latine reddant alumni Seposito libello, cum quo deinde elucubrata conferuntur. Accuit hoc maxime attentionem. Peroratur publicè Sæpissime cumq; in finem ab oratoribus invitantur ad audiendū academiæ cives, qui libenter Sua præsentiâ nostrorū Studia Solent excitare. Frequens etiam disputandi exercitium est: ubi alumnus argumenti conficit descriptionem, quam legunt objecturi ei aliquid, & postea Suam dubitationem modestè, Sine rixa & indigna homine Christiano pugnacitate Palæstrica, proponunt. Porrò Singuli intra mensem duas epistolas & orationem domi componunt, quas Stato tempore publicè exhibent corrigendas. In multis exercitiis non tota materia cum omnibus verbis & phrasibus Sed generatim ejus argumentum indicatur ut se meditando Simul exercere possint. Ad indolem Stili Oratorij eo accuratius animo comprehendendam, Subinde Ciceronis orationem divisis inter se pensis ediscunt, ac coram coetu Suo recitant. In gratiam eorum qui nimis rudes & ætate tamen provectiores ad nos veniunt aliæ adhuc constitutæ Sunt horæ, quas privatas dicimus & in quibus illi curatius & Seorsum erudiuntur: licet proptereà non absint à Scholis ordinariis. Explorandæ alumnorum ignorantiæ inprimis animū adjiciunt Præceptores ut eò melius illorum necessitati Servire possint. In his classibus præter Grammatices præcepta & varios compositionis modos Sequentes explicantur libri: Phædri fabulæ, Historia Eutropij, Justini Sallustij, Cellarij Colloquia Terentiana, Flores Sermonis Terentiani à Spurcitie ad honestum argumentum traducti, Cunæi orationes. Hactenus de Scholis illis Latinis.

Græca lingua ſingulis diebus duas horas ſibi vindicat ac in tribus claſsibus tractatur. In tertia claſse elementa litterarum & Grammaticæ partes præcipue condiſcuntur ~~conſiderantur~~: tres explicantur Epiſtolæ Joannis, vel ſeptem priora capita hiſtoriæ Evangelicæ Matthæi, quæ diſcipuli non deſinūt repetere, donec ſingula verba ſine hallucinatione Latine reddere poſsint. In ſecunda vero claſse intra annum & dimidiam ejus partem totum Novū Teſtamentum pertractatur: In prima ſucceſsu temporis abſolvuntur Macarij Homiliæ, libri Apocryphi Veteris Teſtamenti, Ittigij Bibliotheca Patrum, Epictetus, Cebetis Tabulæ, Ælianus, Pæanij Metaphraſis Eutropiana, Herodiani hiſtoria & faſciculus Poematum Fregerianus. Grammatica heic utuntur itidem Germanice ſcripta, diſcedentes à plerar~~q~~ rumq Scholarum inſtituto præpoſtero, quo ſine ulla ratione horum rudimentorum difficilem reddunt perceptionem. Rationem docendi eandem quam in Schola Latina adhibent; quod captui diſcentiū accommodatiſsimū est. Factitant hoc etiam in Gallicæ & Hebrææ linguæ diſciplina. Initio, cœptam à Magiſtro explicationem iterant diſcipuli, uſque dum aliquantū profecerint: tum auſcultant tantum; interdum tamen ſubita interrogatione illorum attentio tentatur. ſingulis Hebdomadibus memoriâ comprehendunt locum aliquem S. Scripturæ inſigniorem, quem accurate reſolutum in ſuccū & ſanguinem convertunt.

Hebræam linguam itidem in tribus claſsibus diſcunt. In tertia Grammatica rudimenta cum quatuor primorum capitum Geneſeos explicatione percipiunt; in ſecunda Pentatheuchi. in prima codicis reliqui intelligentiam conſequuntur, conjunctam cum curatiore Grammatices & accentuum cognitione. Heic & jam loca quædā S. Scripturæ

memoriæ mandant. Tempus duarū horarū tertiæ classi, Secūdæ octo horarum Singulis Hebdomadibus adsignatū fuit.

Gallicæ linguæ quatuor classes duæq horæ Singulis diebus statutæ Sunt. Ad quatuor Præceptores Ordinarios accedit Magister natione Gallus. Libros qui tractantur, argumenti utiles omnes esse oportet. Sunt Plati vocabula, Novū Testamentū Montanæ editionis Crameri Dialogi Ernesti pij, Saxoniæ olim Ducis, vita à Teissierio edita alij libelli, rerum publicè actarū Ephemerides, Bongarsij Epistolæ, Curtius Gallice redditus à Vaugelasio, Pufendorffij Historia in Gallicū translata à Rouzelio. Multum temporis consumunt loquendo & Scribendo. Prima linguæ Præcepta commodius & clarius à Germanis traduntur, quam à Gallo, qui genuinæ pronunciationis & Sermocinationis causa adhibetur.

Theologia quotidie per unam horam tractatur in quinque classibus. In quarta Catechismus Lutheri minor, & Freylinghausenianus libellus, qui præcipua pietatis Christianæ capita, breviter & verbis Biblicis descripta continet, explanantur. In classe tertia Capita Fidei plenius exponuntur, ductu libri, ab Inspectore editi. In Secunda præparantur ad lectionem S. Scripturæ, indicato Singulorum librorū, quos S. Codex contine~~nt~~t, autore, fine Summa divisione. In classe prima explicatur, Freylinghausenianū Theologiæ compendium adhibito ad ejus declarationem fusiori ejusdem libro, qui de jaciendis Theologiæ fundamentis in Scriptus est. In classe Selecta cum traditis in compendio illo doctrinis adversariorum hodiernorū argumenta conferūtur, & refutantur. Non Solum Pontificiorum, Socinianorūq obviam itur corruptelis, Sed in ~~im~~primis invalescentibus hodie placitis Atheorum, Deistarum, Naturalistarū, Fanaticorū, Indifferentistarum, aliorumq ejus generis hominū, Sub credendi libertate irreligionem, & impiæ vitæ licentiam profitentium:

ut Scholaſtici, qui, paucis in Schola exactis annis, omiſsa copioſiori Theologiæ cultura, maximam partem ad Juriſprudentiā aut Medicinam applicant animũ, quodammodo præmuniantur adverſus Scopulos, in quos multis modis in reliqua vita poſsint impelli. In hac præceptione, dum adhuc commodus huic inſtituto liber deest, Præceptor dictat quidam calamo excipienda ab auditoribus, quæ ipſe deinde latiùs explicat, agitq de cujusq controverſiæ hiſtoria, de Summa ejus, argumentisq gravioribus, quibus utrinq utitur. In primis hoc Spectatur, ut τὸ πρῶτον ψεῦδος omnium dogmatum falſorũ agnoſcant alumni, & intelligant, omnes hæreſes ab inſito in homine Semine peccati procreari, adeoque corrupta ratione facile probari, niſi quis eam divino Spiritu illuſtrari, Seq Sinat Senſu imbui Spirituali. In omnibus claſsibus etiam horam Singulis hebdomadibus dant ediſcendis locis Biblicis, utpote credendi, Sperandi, & agendi normæ exploratiſsimæ. Generatim vero notandum, nihil proponi ediſcendum, quod non probe fuerit explicatum; nec Solum ad Scientiam reſpici, Sed etiam ad flectendum animũ, & deducendum in certum Salutis curriculum. Huc inprimis pertinet adhortatio Inſpectoris Sub finem Hebdomadis, & exercitatio Catechetica, quam die Dominica poſt publica Sacra Præceptores inſtituunt, vel hiſtoriam Biblicam pertractantes, vel Sciſcitantes de publice audito~~rio~~ Sermone.

Nomine diſciplinarũ litterariarũ Calligraphia, Geographia, Hiſtoria, Stilus Germanicus, Arithmetica & Geometria continentur, quibus una quotidie hora impenditur. Sexto quovis menſe, horum diſciplina ad finem perducitur; Sed quisq uno curſu unũ tantũ attingit.

In Selecta claſse provectiores alumni ad prælectiones Academicas, quibus mox interfuturi Sunt, præparantur. Præcipuæ operæ quæ heic vigent, Sunt Stili Latini

exercitatio frequentior, Studium Philoſophiæ, tractatio Juris & Medicinæ elementorū. Longum foret exponere modum quo unamquāq; rem inculcent. Ut in cæteris claſſibus, ita in hac quoq; omnia quam accuratiſſime & profectibus audientium accommadate peraguntur.

Hactenus de lectionibus, prima operarū Scholaſticarū parte, jam veniamus ad alteram, quæ repetitionem complectitur. Repetendis ijs, quæ didicerunt, dies quartus & Septimus uniuscujusq; hebdomadis diſtribuitur. Nam dum ad alias linguas diſciplinasq; fit subinde progreſſus, neceſſe est cavere, ne nova addiſcentes, priſtina ex animo dimittant. Qui autem nihil, cujus recolant memoriâ, sciunt, his horis præparantur ad accuratiorem rerum mox diſcendarum perceptionem.

Exercitia quibus recreationis causa perfunguntur, sunt præparationes ad Physicam, & antiquitates Biblicas: Scilicet aditio artificū & opificum institutio de animalibus, herbis & arboribus; de metallis lapidibusq; & cæ. de terra, aqua, aëre, igne, & variis μετεώροις: de oeconomia, de materia medica; consideratio urbis & Templi Hieroſolymitani supra commemorati. Ad laxamenta hujusmodi pertinent etiam mechanicæ artes; tornandi instrumenta & vasa varia ex chartis conglutinatis conficiendi, poliendi vitraq; & cæ. item ad Physicam spectantia, Botanica, Anatomia, physicæ veritatis experimenta Antlia Pneumatica, & aliis instrumentis, quorum eximio adparatu Pædagogium gaudet, tentanda; diſciplinæ ad Matheſin relatæ Aſtronomia, Muſica Picturæ, Calligraphia.

Examinum quæ ratio sit, in superiore Epiſtola oſtendi.

Cæterū adoleſcentes qui in his Scholis inſtitui volunt, à parentibus adferunt deſcriptionem victus, quo ali, & studiorum quæ tractare debeat. Ex hoc præſcripto cum illis agitur. Ita nonnulli quamvis pauci, tantum Latinæ linguæ principia cum Gallica lingua, & scribendi numerandique scientia percipere jubentur. Omnes vero Theologiæ præceptis studioſe erudiuntur. Nam hoc præcipuū est, diſcere, quo pacto vita ex voluntate Dei ducenda sit.

Habes heic inſtituta scholæ Regiæ; ex quibus patet, quum non

damnemus diſciplinas humanas, quantulumcunq; habent utilitatis, ut criminati Sunt inimici, olim calumniantes, barbariem nos reducturos, quod pretium artibus his non majus juſto ſtatuendum, & potiorem Sanctitatis rationem habendam eſſe aſſeveramus. Sed hic minimus est fructus, quod tam præſentibus documentis vanitas calumniantium refelletur; quod maxime nos oblectat, hoc est quod non pauci Sub his inſtitutis ad frugem redierint, quibus alias pro fortuna Sua difficile videbatur, Sanctam inchoare vitam. Hi ex parte provecti ad Summa Reipublicæ munera, exemplo, & conſilio plurimum nunc poſſunt rem Chriſtianam juvare. Hac ita publica emendatio poterit ad eos etiam procedere, à quibus plerumq; in Summa licentia & adparatu luxuria inſtrumentorū excluditur.

Inſpector Paidagogij hoc tempore in lucem emiſit memoratū hactenus de ratione docendi opuſculum; Cellarij breviarium antiquitatum Romanorū plenius & accuratius elucubratum; Inſtitutiones Oratorias in Tabulas compendiarias redactas, in quibus, omiſſis Rhetoricis ineptijs, utiles regulæ de formanda & perficienda oratione Suppeditantur. Edidit etiam Scriptum de Orthographia Germanica quæ in noſtro Patriæ linguæ neglectu & ejus diverſitate provinciali, multum impedimenti accuratæ Scripturis objicere Solebat. Ac quemadmodum olim ex Poetis Latinis meliora & caſtigata in unum volumen collegit; ita nuper eadem ratione Græcorū Poematum delectum inſtituit, & ex illis Selecta publicavit, præbuitq; juventuti noſtræ largam difficilioris ſtili Græci noſcendi materiam, periculo offenſionis Semoto.

X.

De reliquis inſtitutis, Gynæceo & Cherotropheo, Scito, ea adhuc more veteri continuari. Gynæceo, quod puellas nobiles aliasq; habet, eadem Virgo Gallicana adhuc præeſt. Quod attinet ad alterū inſtitutum illud affine Gynæceo, ubi nimirum Virgines majores natu degunt, tam proſperum Deus Succeſſum dedit, ut in domo illis conceſſa nullus amplius Supeſt locus, adeo omnia conclavia occupata Sunt. Et hic Subinde Sinceræ pietatis exempla Spectata Sunt. Ita paucis abhinc menſibus vita exceſſit nobilis virgo in illorū convictu per duos annos commorata

quo sic profecerit in agnitione & amore Christi; ut sub hujus sensu ad mortem, tanquam ad nuptias, sub continua ineffabilis gaudij prædicatione properaret. Nec in cæteris illis virginibus obscurus est effectus auditi, & ad animū relati verbi divini. Licet autem sibi potissimū vacent, & id maxime agant, ut cum prudentibus virginibus, quas Christus laudat, se cælesti sponso perornent quiete ac tranquille, ut decet; suo tamen doctrinæ cœlestis studio & vitæ inculpatæ cultu, quod ipsæ ignorant, alijs & suæ conditionis hominibus quam plurimum prosunt. Etenim, quæ Dei singularis gratia est, id quoque nostra ætas tulit, ut non desint in illustrium ac nobilium ordine, qui abjecto rerū mundanarū amore, cælestes quærant, cupideq; arripiant quælibet animi emendandi subsidia. En unū exemplum! Vir illustrissimus, militiæ quondam præfectus, jam urbis nostræ incola, una cū conjuge curatioris Christianismi amantissimus, ante biennium unū alterumq; ex Theologiæ Professoribus, & Ecclesiæ ministris rogabat, ut certo cujusq; hebdomadis die ad se ventitarent, & amicum instituerent colloquiū de argumento quodam Biblico; se cum suis ac aliis quibusdam tam viris quam fœminis, auscultaturum. Quod pie desiderabat, ab illo tempore factum est. Quinto quoque hebdomadis die horam tertiam & quartam isti collocutioni tribuunt, in ædes Domini illius congredientes. Ordo instituti hic est. Hymno cantato, loci Biblici particulam, primū Germanice recitatam, deinde verbis linguæ sanctæ illustratam, colloquentium more perpendunt, evolvunt loca parallela proferuntq; in apertum, quod monet proposita Pericope, ac in ea Spiritus Sancti scrutantur intentionem, cognitamq; ad legitimū usum referre docent. Intervenerunt interdum etiam advenæ, illustris dignitatis viri, qui læti fructu exinde percepto, iter suum postea prosecuti sunt.

XI.

Officina nostra Typographica cum Libraria etiam nū protrahit in lucem, & in omnes partes divulgat salutares utilesq; libros: quorū hic attexam Catalogum, qui incipit ab anno 1714.

1. Godofredi Arnoldi vitæ Patrū, recognitæ & illustratæ adnotationibus Rev. D. Jo. Dan. Herrnschmidij, Theol. Prof. P. ord. Germanice 4°. 1718.
2. Supra memorata Biblia Hebraica, ductu Rev. D. Michaelis concinnata fol. 4°. & 8°. 1720.

3. D. Joach. Just. Breithaupij Abbatis Bergensis, & in Theologiæ professione Collegæ conjunctissimi, Epistolæ Anti-Pelagianæ. P. II. 4°. 1714.
4. Ejusdem passionalia Sacra. 8°. 1715.
5. Ejusdem Salomonis Proverbia cum Ecclesiaste carmine Latino explicata. 4°. 1717.
6. Carol. Hildebr. a Canstein Harmonia quatuor Evangelistarũ, cum eorundem explicatione. Germanice fol. 1718.
7. Sebast. Castellionis Novum Testamentũ Lat. 8°. 1715.
8. Frid. Eberh. Collini Studium actuosi Christianismi. Germ. 8°. 1719.
9. Pauli Egardi Explanatio Hiobi. Germ. 4°. 1716.
10. Joh. Anastasij Freylinghausenij, generi & collegæ in Ministerio Ecclesiastico fidelissimi, Consideratio Gratiæ divinæ sub novo fœdere, duobus Sermonibus die festo Pentecostali pro concione declarata. Germ. 8°. 1714.
11. Ejusdem Tractatus de eo quod Christianæ juventuti unũ necessariũ sit Germ. 24°. 1715.
12. Ej. Fundamentũ Ecclesiæ ex 1. Cor. III. 11–15. 8°. 1719. Germ.
13. Ej. Christi Summi Pontificis precatio quæ extat Joh. XVII. 8°. 1719. Germ.
14. Thomæ Goodwini pia Scripta Germanice reddita. 4°. 1715.
15. Mich. Hardigij Confessio fidei Germ. 12°. 1714.
16. Erdmanni Heinrici Henckelij Comitis, Ultimæ horæ pie defunctorum. 8°. 1720. Germ. Volumen secundũ 1721.
17. M. Georg. Joan. Henckenij Mysterium pietatis, i. e. Sermonibus aliquot familiaribus explicatus locus Paulinus 1. Tim. III. 16. 8°. 1721.
18. D. Joh. Dan Herrnschmidius de Discrimine artis Rhetoricæ & Homileticæ. 4°. 1716.
19. Sub Jubilatione Evangelicorũ d. 31. Octobr. 1717. edita à D. Paulo Antonio Theol. D. & P. P. & D. Jo. Dan Herrnschmidio S. S. Theol. D. & P. P. O. Testificatio Publica cum adnotationibus historicis Germ. 4°. 1718.
20. B. K. Itinera veræ pietatis in terris inde à condito mundo ad nostra tempora: ex Anglico in Germanicũ translatus liber à Seidelio Præposito Ecclesiæ Berlinensi 12°. 1718.
21. Ej. Itinera impietatis ab eodem Germanice reddita 12. 1721.

22. Joachimi Langij Theologiæ Profess. & hoc anno hujus Academiæ Pro-Rectoris Mysteriū Christi & Christianismi in sacris Typicis antiquitatum Hebraicarū Veteris Testamenti. 4. 1717.

23. Ej. Historia Ecclesiastica V. T. in Tabulas redacta. 4°. 1718.

24. Georg. Mich. Laurentij Explicatio Epistolæ utriusq, ad Thessalonienses 4. 1714. Germanicè.

25. Ej. Explicatio Epistolæ primæ & Secundæ ad Timotheum. Germ. 4°. 1715.

26. Ej. Explicatio utriusq, Epistolæ Petrinæ. Germ. 4°. 1716.

27. . . . . Epistolæ Judæ Germ. 4°. 1716.

28. Ej. explicatio Epistolæ Jacobi. Germ. 4°. 1719.

29. . . . . Epistolarū Joannis. Germ. 4°. 1718.

30. . . . . Evangelij Matthæi. 4. 1721.

31. Christoph. Albrechti Laseckeri Catechetica institutio de Oeconomia & viis Dei intuitu hominū Germ. 8°. 1720.

32. Descriptio Pædagogij Regij nostri, cum admonitione parentum, qui liberos in eo velint institui. 8°. 1714. Germ.

33. Seb. Schmidij Brevis expositio in Evangelium Joh. 8°. 1716. Germ.

34. Viti Ludovici à Seckendorff Regulæ & Monita de vita rectè & christiano homini convenienter in Academiis ducenda: cum mea studiosorum compellatione 8. 1716. Edidi hunc libellum, quo tempore Pro-Rectoris munere perfungendum mihi erat studiosis Juris exemplo & verbis Viri Politici sanctiora præcepta inculcaturus ut invitarem eos ad religiosius vivendum.

35. Thesaurus animæ pro Dei cupidis. 12. 1715. Germ.

36. Christop. Matth. Seidelij Mysteriū Regenerationis, renovationis & Sancti moris acquirendi exercendiq, ductu S. Scripturæ, & in Emblemate Bombycis Spectatū. Germ. 12. 1718.

37. M. Christoph. Semleri Templum Salomonis cū figuris. 4. 1718. Germ.

38. Phil. Jac. Speneri Expositio Malefundatorū Dogmatum quorumdam Papalium. 8°. 1714. Germ.

39. Ej: Explicatio Catechiſmi Lutheri. 12. 1717. Germ
40. Ej: Neceſsitas & facultas actuoſi Chriſtianiſmi. 4°. 1721. Germ.
41. Ej: Conſiliorum Theologicorū tres tomi ultimi. 4. 1721. Germ.
42. Jo. Tauleri Scripta 4°. 1720. Germ. cum Præfatione D. Herrnſchmidij de Cautelis in lectione Myſticorū Pontificiorū obſervandis, deq erroneis Eccleſiæ Romanæ Dogmatibus ac praxibus.
43. Juſtini Töllneri Tractatio de Diebus Dominicis & Feſtis 12. 1717. Germ.
44. Wiglebij Hiſtoria Eccleſiaſtica à condito mundo ad Chriſtum 4. 1716. Germ.
45. Ej: Hiſt. emendatæ per Lutherū Eccleſiæ, cum Sermonibus ſub Seculari Solemnitate Evangelica habitis Glauchæ. 4°. Germ.

Alij libri ad varias Scientias pertinentes.

1. D. Mich. Alberti, in hac Academia Medicinæ Profeſsoris, Introductio in Univerſam Medicinam [ſecundum placita Stahliana] 4°. 1718.
2. Ej. Semiologia Hygiene, Materia Medica & Chirurgica. 4°. 1719.
3. Ej. Therapia Medica. 4°. 1721.
4. Ej. Phyſica 4. 1721.
5. Juſt. Henning Boehmeri, celeberrimi apud nos Juris Profeſsoris, Introductio in Jus Digeſtorū 8. 1714.
6. Ej. Jus Eccleſiaſticum Proteſtantium, uſum modernū Juris Canonici ſecundum Seriem Decretalium oſtendens, & ipſis rerū argumentis illuſtrans. Vol. Secundū. 4. 1717.
7. Ej. Inſtitutionū Juſtin. libri quatuor cum notis. 8°. & 4°. 1719.
8. J. S. Carl Therapia. 4°. 1718.
9. Ej. Hiſt. Medicæ Specimen 4. 1719.
10. Jo. Coccej Lexicon & Commentarius Sermonis Hebraici, & chaldaici, opera & Studio Jo. Henr. Maij cū novis Supplementis. fol. 1714.
11. Hieronymi Freyeri faſciculus Poematū Græcorū ex antiquis & Poetis recentioribus collectum 8. 1715.
12. Jo. Georg. Hoffmanni breves quæſtiones de rebus naturalibus. Germ. 12. 1720. cum Præfatione D. Herrnſchmidij, de rationes circa res ipſas naturales imbecillitate.

13. Ejusdem libellus de moribus decoris. Germ. 12. 1721.

14. Jo. Junckeri, Medici practici Orphanotrophij nostri, Conspectus medicinæ Theoretico=Practicæ Tabulis 116. omnes primarios morbos, methodo Stahliana tractandos, exhibens 4°. 1718.

15. Ejusdem Conspectus Chirurgiæ, tam medicæ, methodo Stahliana conscriptæ, quam instrumentalis recentissimorū autorū ductu collectæ, Tabulis 103. constans 4. 1721.

16. Joch. Langij Grammatica Hebraica. 8°. 1720.

17. Ej. Colloquia Latina 8°. 1721.

18. Jac. Frid. Ludovici, antea in hac Academia nunc in Giessensi Professoris Juris Speculum S. Jus Saxonicū. 4°. 1720. Germ.

19. Ej. Jus Feudale Saxonicum 4. 1721.

20. Ej. Weichbilda; quo nomine Germanici juris pars insignitur 4. 1721.

21. Jo. Petr. de Ludwig, itidem Juris Professoris in hac Academia, de jure Clientelari Germanorum in Feudis & Colonijs. 4°. 1717.

22. Ej. Scriptorū rerum Germanicarū, plurimam partem nunc primū editorum ex Codicibus Mstis. Tomi II. fol. 1718.

23. Ej. Reliquiæ Mstorū omnis ævi Diplomatum ac monumentorū ineditorum adhuc. Tomi III. 8°. 1720.

24. Christ. Otton. Mylij Corpus constitutionū Magdeburgensium cum continuatione 4. 1714.

25. Abrah. Rehfeldi Hodegus Botanicus menstruus. 8. 1717.

26. Ephemerides rerū publice actarum cum compendio earundem annuo. 4°. Germ.

27. Georg. Ern. Stahlij Opusculum Chymico=Physico=Medicum. 1715. 4°.

28. Ej. Institutio de nova Meteoroscopia. 8°. 1716. Germ.

29. Ej. de Sulphure Germ. 8. 1718.

30. Ej. Negotiū Otiosum, S. Σκιαμαχία adversus positiones aliquas fundamentales Theoriæ veræ medicæ, à viro quodam celeberrimo intentata, sed adversis armis conversis enervata. 4°. 1720.

31. Sam. Strykius de Successione ab intestato. 4°. 1719.

32. Wagneri Arithmetica. Germ. 8°. 1721.

33. Ars pingendi. 8°. 1717.

34. Bartholomæi Ziegenbalgij Grammatica Damulica s. Malabarica 4°. 1716.

Recuſi, divenditis ſuperioris editionis exemplis.

1. Juſt. Henning. Bœhmeri Jus Eccleſiaſticum Proteſtantium, uſum modernũ Juris Canonici ſecundum Seriem Decretalium oſtendens, & ipſis rerũ argumentis illuſtrans. 4°. 1720.

2. Ej. Emendationes & additamenta ad Jo. Schilteri Inſtitutiones Juris Canonici. Acceſſerunt ejusdem Origines præcipuorũ materiarum Juris Eccleſiaſtici. 8°. 1720.

3. Ej. Jus Parochiale, editio tertia auctior & emendatior. 4°. 1721.

4. Jacobi Brunnemanni Examen Juris publici. 8°. 1714.

5. Jo. Franc. Buddei, Selecta Juris naturæ & Gentium. 8°. 1717.

6. Ej. Lumen Sapientiæ. Germ. 8°. 1716.

7 - - - - — - Pars II. ~~1748~~ 1718.

8 Ej. Elementa Philoſophiæ inſtrumentalis. 8°. 1719.

9. Ej. Hiſtoria Eccleſiaſtica V. Teſtamenti ab orbe condito usq; ad Chriſtum natũ. 1719. 4°.

10. - - - - - - - - - - - Pars II. 1721.

11. Ej. Elementa Philoſophiæ Theoreticæ. 8°. 1720.

12. Ej. Introductio ~~ad~~ in Philoſophiam Ebræorũ. 8°. 1720.

13. Chriſtoph. Cellarij antiquitates Romanæ. 8. 1715.

14. Arnoldi Corvini Jus Canonicum. 4°. 1720. & 8°.

15. Jo. Anaſtaſij Freylinghauſenij Inſtitutio de recta cognitione & salutari uſu paſſionis Chriſti. 8. 1715. Germ.

16. Ej. liber Cantica antiqua & nova Sanctioris argumenti complectens Voll. II. 1721. Germ. [Vol. I. Editio duodecima Vol. II. editio ſecunda] Eorumdem Epitome. 1721.

17. Ejuſdem Compendium Doctrinæ Chriſtianæ. 8°. 1719. Germ.

18. Ejusd. Definitiones doctrinarũ Theologicarũ. 8°. 1720. Germ.

19. Ej. Sermones Populares in Pericopas Dominicorũ & Feſtorum dierum 4°. 1719. Germ.

20. Ejusdem Institutio de jaciendis Theologiæ Fundamentis. 8°. 1721. Germ.
21. Grammatica Græca Germanica conscripta 8°. 1720.
22. Institutio de Moribus decoris. 12°. 1721. Germ.
23. Joach. Langij Medicina mentis. 8°. 1718. Editio quarta, quæ in Anglia quoq typis exscripta fuit.
24. Ej. Grammatica Latina Germ. 8°. 1720.
25. Ej. Clavis Ebræi Codicis. 8°. 1720.
26. Georg. Mich. Laurentij Explicatio Epistolæ ad Philemon. 4°. 1714.
27. - - - - - - - - - ad Romanos. Germ. 4°. 1716.
28. - - - - - - - - - Prioris ad Corinthios. 4°. 1717. Germ.
29. - - - - - - - - - Posterioris ad Corinthos 4°. 1719. Germ.
30. - - - - - - - - - ad Galatas. 4°. 1720.
31. - - - - - - - - - ad Philippenses. 4°. 1720.
32. - - - - - - - - - ad Ephesios 4°. 1721.
33. - - - - - - - - - ad Colossenses. 4°. 1721.
34. Jac. Frid. Ludovici Doctrina Pandectarũ. 8°. 1714.
35. Ej. Usus Pra~~xeos~~cticus Distinctionũ Juridicarũ. 8. 1717.
36. Ej. Institutio de Civili & criminali Processu Germ. 4°. 1719.
37. Ej. De Processu Consistoriali. 4°. 1719.
38. - - - - Militari ~~[illegible]~~ 4. 1720.
39. - - - - - - - Cambij. 4°. 1720.
40. - - - - - - - Concursus Creditorũ. 4°. 1721. Germ.
41. - - - - - - - Feudalij. 4°. 1721.
42. Martini Lutheri Explicatio Jes. L. III. de Passione & Gloria christi. 12. 1716. Germ.
43. Menantis novæ Selectioresq Epistolæ. Germ. 8°. 1718.
44. D. Jo. Heinr. Michaelis de accentibus Hebraicis. 8°. 1720. Germ.
45. Philip. Jac. Speneri Consiliorum Theologicorũ quatuor partes. 1715. Germ. 4°.
46. Ej. Cogitata de Institutione Cathechetica. 12°. 1721. Germ.
47. Sam. Strykius de Cautelis ~~Instrumentorũ~~ Testamentorũ. 4°. 1716.

48. Ejusdem Usus moderni Pandectarū Specimen. 4°. 1717.

49. Ejusdem Continuatio hujus operis. 4°.

50. . . . Continuatio altera. 4.

51. . . . . Continuatio tertia & quarta. 4°.

52. Ej. de Cautelis Juramentorū. 4°. 1719.

53. Jo. Sam. Strykij de Jure Sabbathi. 4. 1715.

54. Just. Töllneri Collectio Dictorum Biblicorū, cum historia dierū festorum 12°. 1717. Germ.

55. Via felicitatis. 12. 1719. Germanice.

56. Historia Evangelij ad Indos propagati. 4°. Germ.

Meæ Scriptiones

~~1. Omnia & in omnibus~~ 1714.

1. Omnia & in omnibus Christus ex Luc. 1. 39. - 56. 12°. Germanice

2. Quatuor & viginti ratione officij erga pauperes observandi. 12°.

3. Programmata. 8°. Latine.

4. Quotidiana Renovatio. 12. ex Eph. IV. 22. 28.

5. Spiritus Christi. ex Rom. VIII. 12 - 17. 12°.

6. Gratia Domini nostri Jesu Christi. ex Luc. V. 1. 11.

7. Deus amor. ex 1. Joh. IV. 16. 21.

8. Jesus Christus Lumen gentiū & Gloria Israelis ex Luc II. 22. 32.

9. Nexus legis & Evangelij ex Matth. XXII. 34. 46.

10. Sermo de Fide, via consequendi Spiritū Sanctū. ex Act. X. 34. 48.

11. Beatitas venientiū ad magnam illam cœnam & panem in regno Dei comedentium. Luc. XIV. 16. 24.

12. Legitima Salutis nostræ consummandæ exspectatio. ex 1. Pet. V. 6. 12.

13. Sancta & Secura via Fidei in Christiano homine Evangelico. 24.

1715.

14. Sermones de Poenitentia. Vol. II. 4°. Germ.

15. Nicodemus, s. de metu hominū. 12°. recus.

16. Tentatio nū Christus in nobis sit? II. Cor. XIII. 5.

17. Animus Peccatorū conscientia anxius & contritus. ex Luc. VII. 36. 50.

18. Rectus Temporis usus. ex II. Cor. VI, 2. & Eph. V. 16. recus.
19. Dilectus filius coelestis Patris, in quo hic acquiescit. ex Matth. III. 13. 17.
20. Nominis Jesu praeclara significatio, rectus usus, & plena εὐλογῆς, & vitae vis ex Matth. I. 21.
21. Praeparatio ad Solennia Pentecostalia. ex Apoc. XXII. 17.
22. Incitatio ad plenam Fidem, proposita Jesu Christi gloria, ex Matth. VIII. 23. 27.
23. Publici Sermones de Passione Jesu Christi secundũ expositionem Evangelistæ Marci. 8°. recus.
24. De Precatione, 24°. saepe editus libellus. ~~24°.~~

1716.

25. Christus nucleus S. Scripturæ. 12°. recus.
26. Experientia gloriæ Dei. ex Deuter. XXXII. 39. 40. 12°.
27. Brevis Institutio de Renovatione. ex Rom. XII. 1. 2. recus.
28. Gradus æternæ Gloriæ. ex Matth. XX. 20. 23. recus.
29. Bonitas Dei, & Securitas sub umbra alarũ ejus [parata] ex Psal. XXXVI. v. 8°. recus.
30. Animus resurgentis ex mortuis Jesu. ex Jo. XX. 17. recus.
31. Dictum Pauli 1. Tim. I. 15. tanquam Nucleus [S. Scripturae] recus.
32. Prudentia filiorũ lucis, ex Luc. XVI. 1. 9.
33. Divina animi commotio. ex Act. II. 37.
34. Gradus fidelitatis in curando opere Dominico. Matth. XX. 1. 16. 12°.
35. Discrimen justificationis sui, & Veræ Justificationis. ex Luc. XVIII. 9. 14.
36. Pastus Agniculi Dei. ex Joh. X. 12. 16.

1717.

37. Idea Studiosi Theologiæ. Germanicè 12°. 1717. recusa.
38. Positiones Hermeneuticæ. 8°. 1717. Latinè.
39. Epistola de Christiana Simplicitate Dei filiorũ. ex II. Cor. XI. 3. 24°. Germanicè
40. Quæstio omniũ gravissima, Christianæ juventuti proposita. ex Psal. 119. v. 9. 12°.
41. Vera animi poenitentia ex Deuteron. V. 29. 12°. recus.

42. Christus verũ nostrũ lumen & Jus ex Luc. XIX. ~~44~~ 41. 48. 12°.

43. Brevis Institutio de eo quod possit fieri ad Deum conversio, & institui actuosus Christianismus: qua ex Scriptura vulgare illud quidem, sed inane ad fictum ἀδύνατον refugium, refutatur. 12°. recus.

44. Insistenti docendi munus Christo propositus finis. ex Act. XXVI. 17. 18.

1718.

45. Monita Pastoralia Theologica. Germanicè 12°. recusa

46. Christi delectatio apud nos, nostraq apud Christum. ex Joh. I. 1. 4. 12°.

47. Paterna adhortatio juventutis universæ, quæ in Scholis Glauchensibus instituitur. 24°.

48. Fides in Dominũ Jesum. ex Joh. II. 1. 11.

49. Institutio de usu Vaticinij Christi, extremũ judiciũ prænunciantis. ex Matth. XXV. 31. 46. 12°. recus.

50. Quinq quæstiones de Ordine Salutis adipiscendæ cum aureo A. B. C. recus.

51. Susceptio Christi sub exemplo recipientium atq repudiantiũ illum. ex Matth. XXI. 1. 9.

52. Causæ Speratæ beatitatis nonnullorũ, & formidatæ damnationis multorũ externæ Ecclesiæ Societati sese adjungentium. ex Joh. III. 16. 21.

1719.

53. Publici Sermones de Passione Christi secundũ historiam Evangelicã Johannis. 8°. recus. Germanicè.

54. Depulsio timoris per plenũ amorem. ex 1. Joh. IV. 16. 21. 12°. Germ.

55. Conversio ad Deum sub externis calamitatibus. ex Luc. XVII. 11-19.

56. Hominis ad Dominũ Jesum deductio ex Marc. VII. 31-37. 12°.

57. Exhilaratus, nascente Christo animus humanus. ex Luc. II. 1.-14. recus.

58. Precũ summa necessitas, vera indoles & fructus præclarus, ex Joh. XVI. 23. 30.

59. Fidei beatitas & actuosa ratio. ex Luc. X. 23.-38

60. Desideriũ fidelium quo in Christum feruntur. ex II. Cor. V. 8.-9. 8°.

61. Miseria ~~eorũ~~, illorum, qui frustra ad cœnam Domini se passi sunt invitari. ex Luc. XIV. 16.-24. 12°.

[illegible]

[illegible] Dei conservatio [illegible]

[illegible] ex Matth. IX. 9-13.

[illegible] ex Luc. XII. 1- [illegible]

[illegible] ex Luc. XI. 14.

[illegible]

62. Expositio loci Matth. XX. 16. Multos vocatos sed paucos electos esse. 12. recus.
63. Summum animæ pretium. ex Marc. VIII. 36. 12°. recus.

1720.

64. Sermones diebus Dominicis & festis habiti in unũ volumen collecti. 4°. repetita editio Germanica.
65. Vocatio ad magnam Domini cœnam ex Luc. XIV. 16.-24. 12°. Germ.
66. Monumentũ Nassovio-Idsteiniense, complectens duos Sermones in illa regione habitos, ductu Jes. VIII. 9.-15. & Matth. IX. 9.-13. His præmissa est Admonitio fraterna, qua Ministros Evangelicos ejus tractus ad fidelem muneris administrationem excitavi.
67. Gaudiũ quod in cœlis est, uno se peccatore ad Deũ convertente. ex Luc. XV. 1. 16.
68. Humanitas Domini Jesu in suscipiendis peccatoribus. ex Matth. IX. 9.-13.
69. Necessaria sui exploratio ante usum S. cœnæ ex 1. Cor. XI. 23.-32. recus.
70. Justitia & robur in Domino ex Matth. IX. 1.-8.
71. Animus Heroicus Fidelium ex Luc. XII. 1.-5. Sermo sacer jussu Principis Anhaltini habitus.
72. Votum sub novi anni auspiciis, ductu loci Paulini Galat. VI. 15.-16.
a 74. Præparatio ad diem nascentis Christi memoriæ dedicatum. ex I. Joh. V. 20.
b 73. Præparatio ad Sacra Pentecostalia ex Luc. XI. 13.
75. Doctrina de Principio Christianæ vitæ. 12°. Germanice sæpius recus.
76. Voluntas Dei secundum legem & Evangelium ex Matth. XXII. 34.-46. 12°.
77. M. Georg: Jo. Henckenio exstructũ monumentũ, constans sermone Funebri & vitæ ejus curriculo. 8°. Germ.

78. 1721.

78. Sermo funebris in obitum Joannæ Eleonoræ, filiæ Rev. Wieglebij, in Glauchensi cœtu ministri Evangelici. ex Matth. IX. 24. Quia vitæ curriculum, quod paucis annis puella emensa est, memorabile erat, maxime sub finem ejus & in morbo [quod supra recensui] hujus libelli exempla

discipulis nostris utriusq; Sexus, finita lustratione, distributa sunt.

79. Unum quod necessarium sit, nempe ut ex voluntate Dei agere discamus. In Academia Ienensi habitus Sermo. Psal. 143. 10.

80. Sancta & Secura fidei via Christiani hominis Evangelici. recus.

81. Praeveniens hominem Dei gratia, coram Principe Dessoviensi, & cognatis ejus habita Oratio. Luc. 7. 11-17.

82. Quotidiana renovatio ex Ephes. IV. 22.-28. recusa

83. Welleri Epistola de Methodo studij Theologici. 8°. quod opusculū ex ejus operibus primum separatim excudi curavi. Erat is Lutheri domesticus, & ex ejus mente amico scripsit de hoc argumento. Praecipuū est, quod diligentissime commendet ~~eo~~ conjunctum cū serijs precibus S. Scripturae studiū; à quo cum paulatim recesserint non paucae Academiae, nec aequo animo ferant, nos adeo divino Verbo nixi; ad confirmandos & excitandos auditores nostros in lucem denuo protulimus hoc disciplinae Lutheranae monumentum, ut viderent, quaenam illa arma sint, quibus tantum effecerūt primi Ecclesiae emendatores, quantum nemo ex posteris, licet hi non minus illis ab artibus humanis fuerint instructi.

84. Oratio Jubilaea de Reformatione Academiarū Evangelio digna, per B. Mart. Lutherū coepta & posteris commendata. Hanc in Solenni Panegyri habui, paulo antequam Ecclesiae Evangelicae Solennia Secularia celebrarentur anno 1718. die 12. Julij, cum annuū Academiae hujus regimen successori essem traditurus. Ostendi initio, non reperiri facile quidquam Academijs corruptius, regnoq; Dei repugnantius. Plures Doctores pigere de bonitate Dei in Cathedra ~~fr~~ verba facere; taedere studiosos de clementia ejus salutisq; hominū desiderio audire & institui qui eruditionis audiant sectatores, plerumq; ignorantia voluntatis divinae & profano salutis suae contemtu gloriari, sibiq; ~~ex universa~~ eo unice sapere videri. Gymnasia Sanctitatis mutata in palaestras impietatis, in quibus Dei se odio impleant ~~auditores~~ Athletae, omniq; ipsius amore abjecto, strenue id agant, ne quid illi in ipsis placeat gratumq; sit. Ita animos suos plerosq; fere in hac officina formare, ut nulli usui sint Deo, nihil ejus gratiae consequantur aut possideant, ab ejusq; obsequio se, quam longissime id fieri possit, subducant;

ad omne vero impietatis, vitiorū, flagitiorum Scelerumq genus sint expeditissimi, nihil insuper inter ipsos & Ethnicorū pessimos intersit. Hinc etiam illos, qui Scientiæ apparatum aliquem consequuti sint, eo deinceps haud aliter quā ebrium gladio, in majorem sui aliorumq perniciem abuti. Postea necessitatem corrigendi Academias demonstravi rationibus & testimonijs cordatorum virorū. Tum docui qualem Academiarū emendationem suscipi oporteat: talem scilicet, quam comitetur Scholarū & Gymnasiorum, in quibus adolescentes ad altiora studia præparari solent, meliorem in statum transmutatio: qua singularis cura impendatur præparandis ad functiones Scholasticas studiosis: qua Professores haud alij constituantur, nisi qui præter eruditionem solidam, & ad docendum dexteritatem, ingenuæ pietatis speciminibus spectati sint, ne plus pravo exemplo juventuti noceant, quam doctrina prosint. Non male forte dicere aliquem, hoc unū depellendis Academiarū morbis sufficere, si non alij præponantur studiosis, nisi tales, quorū illi doctrina doctiores, vita meliores reddantur. Item hoc opus esse ut ipsi Professores, sine ullo ad privatum commodū respectu, sat multos bona mente ac dotibus naturæ præditos, eosq sive pauperes sive divites, ex auditorum numero seligant, in quos præcipuam insumant curā, quosq, ut felicioris profectus discipulos, Academicis laboribus præparent & adsuefaciant; quo nunquam desint, quos tuto & secundū conscientiam commendent, quoties novus Professor adsciscendus, vel ad complures alias gravioris momenti functiones aliquis opera ipsorum provehendus fuerit. Hac enim ratione quasi duplicem præstituros Deo ac Magistratui in munere sibi demandato fidelitatem. Primo enim per omnem vitam verbis & factis ætatem præsentem & ipsos adjuturos; deinde profecturos etiam quanti in ipsis, posteritati, atq in discipulis, quibus Scientiæ ac Sapientiæ commisissent thesauros, post fata quasi superstites futuros. Sic fore, ut non tantum emendentur Academiæ, sed etiam in flore, quem semel nactæ sint, in annos venientes conservētur. Ita sine magno apparatu

Seminaria sua in Sinu quaſi fovere poſse Academias, quarum fructus ipſæ quidem primæ non immerito in Sui conſervationem percipiant, alijs tamen non denegent omninò. Interim me non eam optare Academiarū conditionem qua Profeſsores tantum Selectiores diligant auditores, reliquos negligant; Sed qua Studioſi omnes atq Singuli à Profeſsoribus non aliter ac filij à parentibus amentur. Id etiam poſtulari, ut unicuiq Studioſorū via ac ratio ſtudiorum exacte præſcribatur, idq non Semel tantum fiat, Sed toties iteretur, quoties novis quilibet conſiliis ac monitis habuerit opus: item hoc, ut diſciplina Academijs, Si illa unquam fuerit, reſtituatur. Plurima Supereſse, quæ non debeant, Soleant tamen impunè fieri. Neminem otij Sui fœdiſsimi, & peccatis varijs contaminati, cogi rationem reddere: nullibi in ebrietates, in comeſsationes, in ſtultiloquia, in Scurrilitates, in obſcœnitates & alia plura ejus generis vitia animadverti. Antequā in publicū erumpens malitia pœnarū frænis ac repagulis coerceatur, fieri multa poſse, vel debere potius, quibus juvenes genio Suo indulgentes, in ordinem redigantur, & mentem induant meliorem. Patrum Academiæ eſse omniū atq Singulorū, non modo exemplo vitæ integerrimæ Studioſis omnibus prælucere, Sed etiam quovis dato tempore, eos ad animæ Suæ curam non minus quam ad diligentiam in ſtudiis adhibendam excitare, venerationem erga Deū ac Verbum ejus Sanctiſsimū illis inſtillare, paternoq affectu viam oſtendere, quæ ineunda Sit, Si curriculi Academici metam attingere, & in illo ætatis Suæ flore verū ponere fundamentum cum proſperitatis temporariæ tum Salutis æternæ cupiant. Præterea fieri non poſse ut juventus academica non corrumpatur, Si omnibus in angulis occaſiones & Inſtrumenta luxuriei tolerentur, nec corruptoribus juventutis auctoritate publica reſiſtatur. Porrò deeſse in Academiis Verbi divini Singularem æſtimationem ac Venerationē, tractatione illius Seria, aſsidua Viridaq, obſequio item fidei, & omni vivendi ratione comprobatam: deeſse amorem illum fervidum Jeſu Chriſti non tantum omnes theſauros Sapientiæ ac notitiæ abſconditos in Chriſto quærentem, Sed etiam ratiocinationes omnemq Sublimitatē

quæ sese extollit adversus Dei cognitionem, evertente, & in captivitatem redigentem omnem cogitationem ad obediendum Christo: deesse concordiam, qualem esse inter membra ejusdem corporis conveniat, quæ ad commune omnium bonū aspirent, de rebus Academicis in melius mutandis, omnes pari cum ardore deliberent, deliberataq; alacriter exsequantur: deesse ~~illud~~ Sacrū illud charitatis vinculum, quo Academiæ universæ inter se conjunctissimæ esse debeant; unde fiat, ut quod bene dicatur, Scribatur, agatur alia in Academia, id sæpius in alia male condemnetur, & ut Hæreseos saltem Schismatis Suspicione ij onerentur, qui nullam Evangelicæ doctrinæ mutationem aut corruptionem, sed ejus potius incorruptam disciplinam, suiq; & aliorū ex illius præscripto emendationem meditentur, & pro ratione muneris strenue omnibus inculcent. Eundem Spiritum Jesu Christi omnes Academiarum Evangelicarū Professores animare debere, ut, quia Universitates audiant, ad universi generis humani emolumentū ac Salutem æternā procurandam, unanimi studio concurrant. Sed Spiritū illum Christi deesse, hinc, hinc illā insaniam circa quæstiones ac pugnas de verbis, ex quibus nascatur invidia, lis, maledicentia, Suspiciones malæ, perversæ exercitationes hominū mente corruptorū, & qui privati sint veritate, & quæstui habeant pietatem, vel omnē potius vivendi rationem, & ipsam quam publice sustinent provinciam. Hactenus de desiderata Academiarū emendatione; quas querelas cum Subjectis votis nolit Deus frustra publicatas esse!

Habes igitur indicem laboris peracti huc usq; in officina nostra Typographyca, fideli publicæ utilitatis & muneris nostri in spargendo divini Verbi Semine administra. Non potest heic recenseri, quot libelli his sacris usi fuerint ad ~~[illegible]~~ ineūdū Salutis curriculum; idq; postea liberis & coram testati sint. Horū numerū licet ingens sit, non accedere tamen credimus ad illorum multitudinem, qui sub sua emendatione, quam inchoarunt vel prosecuti sunt duce hac Scripta voce, nobis non innotuerūt. Quod quidem ad nostros libellos attinet, nihil in hac narratione nobis tribuimus gloriæ, ut pote qui agnoscimus, hanc Soli Domini benignitati deberi; negari tamen non potest, voluisse Deū uberrime fortunare Scriptiunculas

iſtas nullis artis humanæ lenocinijs ornatas, sed à Simplici Chriſti & Apoſtolorum oratione fideliter derivatas, quibus divinū verbum temporibus, moribusq; noſtris candide adhibetur.

Illud ipſum, nempe divinū Verbum, Singulari modo per Germaniā ab aliquot annis longe lateq; vulgatur, venitq; etiam in manus pauperrimorum. Cœpit anno 1712 curante Illuſtri Canſteinio, ut in Superioribus literis indicavi, edi heic vili pretio divendi Novum Teſtamentum, & integra etiam Biblia; illud cū Pſalmis Davidicis, qui quintæ ejus editioni & Secutis adjecti Sunt, duobus, hæc pro diverſa libri magnitudine & conditione chartæ, Septem, novem, undecimve Groſſis Miſnicis. Sacros hos libros utriusq; Inſtrumenti Sine ceſſatione huc uſque imprimere perreximus, emiſſis in lucem poſt annū 1714. Novi Teſtamenti, octodecies hoc temporis intervallo recuſi, Octoginta Septem millibus, integrorū Bibliorum formæ majoris, quæ vulgo octava vocari Solet, novies editorum, quadraginta quinque, minoris autem, duodecimalis dictæ, undecies exſcriptorū, quinquaginta quinq; millibus exemplorū. Præter ea Novi fœderis & Pſalterij eadem forma iisdemq; typis, quibus minora illa Biblia, quatuor editionibus Sex millia Exemplarium vulgata Sunt. Pretij ratio ea est, quod ipſe judicabis, ut minui nequeat. cum charta & merces Solvenda Typographis, & ei qui exemplaria diſpenſat, impendendisq; commercio literarū Sumtus id fere abſumant. Quod reliquū vero est, adſervatur, quo novi typi fundi poſſint, veteribus tractu temporis hebetatis. Indicavit Illuſtriſſ. Canſteinius in Præfatione editionis majoris, confecti typis conſiſtentibus pro univerſo libro, quæ anno 1717. abſolvebatur: paraturos nos tot typos, quot codici toti, minori quoq; forma Sicut majori exſcribendo, Sufficerent. Fuimus etiam in hoc ipſo negotio tribus jam annis & quod excurrit occupati, nondum vero illud potuimus abſolvere: fore tamen Speramus, ut divina adgubernante Providentia, interjectis aliquot menſibus, ad optatum finem perducemus. Interim perreximus excudere codicem hac forma, eosdem typos, diverſi

plagulis adhibentes. Vix autem tot procudere exemplaria potuimus, quot expetita sunt. Sæpe ex pluribus Germaniæ oppidis & vicis adlatæ sunt epistolæ, quibus alius centum, alius ducenta alius plura exempla sibi asservari jussit. Sed plerisque vix decimam expetitorum exemplorum partem mittere potuimus. Tanta fuit ad ædes, in quibus venduntur, accurrentium turba, ut anno 1715. fores aliquando claudi oportuerit, ne quis amplius pecuniam obtrudendo, exemplaria aliis reposita, vendenti extorqueret.

Subit animum lætitia dum hæc scribo cogitoque quantum hominibus, præsertim egentioribus, tam larga divini Verbi communicatione allatum sit adjumentum ad agnoscendum colendumque Servatorem, cujus antea plerique incredibili ignorantia tenebantur. Diligentius nunc domi non solum legitur Sacra Scriptura, sed evolvitur etiam à plerisque utriusque sexus auditoribus sub ipsa concione & institutione Catechetica. Accendit hoc Illustriss. Cansteinii exemplum cum aliis in locis tum in Dania bonorum virorum studium ad tentandam simili ratione Verbi divini publicationem. Itaque illustris Societas, quæ docendæ in India Veritati Evangelicæ prospicit, adjuvante & volente Rege Novum Testamentum separatim, & integra Biblia eadem forma typisque fere iisdem semel atque iterum excudenda curavit, & exemplaria æquissimo pretio vendi jussit.

Inflammet pater cœlestis, qui solus omnia potest, inter alios etiam populos, viros pios & bonorum suorum terrestrium participes, ut suæ quisque nationis hominibus de hoc egregio verbi divini Thesauro prospicere adlaboret, ut quilibet salutis suæ cupidus, hunc animæ cibum comparare sibi possit; adeoque veluti mare undis, ita terra universa cognitione Domini repleatur.

Cœpimus quoque instinctu & sumptibus virorum quorundam illustrium typis exscribere totum Codicem sacrarum literarum, Sclavonice olim redditum, nunc correctum Bohemorumque intelligentiæ aptatum. Quo Thesauro gentem Bohemicam tam in regno hujus nominis, quam in Hungaria degentem, & alios hujus linguæ peritos, speramus nos valde exhilaraturos, adducturosque ad Sancti~~tatem~~iorem divinorum oraculorum usum.

Defuit huc uſque calamitoſiſſimis hominibus libertas recudendi sacros libros, vel alibi editos introducendi in patriam.

Populo non minus inopia præſidiorum ſalutis laboranti, qui Eſthoniam Livoniæ partem colit, hæc ſuppetendi optata nuper nobis contigit occaſio. Miſſo juvene, diſcipulo olim noſtro, ſacer illius provinciæ ſenatus petiit à nobis ut librum quendā Eſthonice illius juſſu ſcriptū excuderemus. Morem igitur illi geſſimus, juvene illo, qui cum amicis alumnis antea noſtris, conſilij autor & inſtimulator fuerat, Correctoris partes adminiſtrante. Eſt in illo libro Catechiſmus, Evangelica hiſtoria, quantam quotannis veteri inſtituto pro concione explicare ſolemus, cum excerptis ex Epiſtolis Apoſtolorū locis, carminibus, inſtitutione deprecando. Jam ſudant nonulli ejus tractus miniſtri Evangelici in vertendis ſacris ſcripturis, quas etiam typis promulgare promiſimus.

Præterea juvenes nonnulli Bohemicæ linguæ gnari, cum heic ipſi divinæ Veritatis ſenſum percepiſſent, cupientes aliquid ex his bonis patriæ impertire, tranſtulerunt aliquos ſermones heic habitos in hanc linguam, exſcriptosq; typis in Hungariam ad ſuos, Huſſitarū Bohemicorū poſteros, jam Evangelicos, miſerūt.

Exempla laudatæ in ſuperiori Epiſtola editionis Novi Teſtamenti Græci ex veteri ſermone in vulgarem tranſlati, adhuc redimūt Græcæ gentis mercatores, ad Nundinas Lipſienſes quotannis profecti, eaq; ſecum auferūt ad populares: à quibus etiam valde expeti dicunt Veteris Teſtamenti editionem, quam ipſi promiſimus, ſi quis inter ipſos ejus verſionem pro vulgi captu concinnare vellet.

Eſt inter recenſitos ſupra libros opuſculū, cujus inſcriptio hæc eſt: Ultimæ horæ nonnullorū Evangelicæ doctrinæ addictorū hominū, qui proxime præteritis annis vita beate defuncti ſunt. Ab initio reſuſcitati noſtra ætate ſtudij, ſanctioris vitæq; vere Chriſtianæ hujus exempla plurima quibus probatur illius facultas & beatitudo, contigerunt. In primis exitū ex hac vita multi nacti ſunt admirabilem, indicijs præſentiſſimi Numinis, & ejus gratiæ ſingularis. Vellem ſane nos ſtatim à principio ejus documenta quædam collegiſſe ad futuri populi uſum & in teſtimoniū feraciſſimi bonis temporis noſtri, atq; hoc modo aliquid ex præſenti ubertate pro ſublevanda futura forſan in his locis penuria recondidiſſe. Sed ſuperiori anno

demū hoc consilium in mentem venit, quod ab illo tempore exsequi cœpimus. Prostant nunc duo volumina; Singulisq annis novum adjicere decrevimus. Ratio tractationis eadem fere est ac in tuo libello, quo beatæ filiæ Vitam exponis. Lætatus Sum inter cætera, legisse illum librū Arndianum de vera pietate, lectumq ad Vitæ actum retulisse. Hoc Scriptum nostra ætate tantos fert fructus, quantos toto Seculo non ediderat, innumerisq editionibus in usum hominū revocatur.

Curam colligendi pia ejusmodi exempla Suscepit vir illustrissimus, Comes Henckelius, vir Sanctitatis exercendæ & propagandæ studiosissimus. Hic initium quoq fecit exemplo cl. D. Brayi, Angli, congerendi historiam Martyrum: in quam referet Selectiora exempla, petita ex omni ævo, maxime vero ex illo tractu temporis, quo Pontificij, reductæ in Ecclesiâ antiquæ Veritatis professores atrocissimis Supplicijs è medio Sustulerūt. Magna hujusmodi narrationi & mentioni profusi pro credita Veritate Sanguinis Vis inesse Solet, ad excitandum incitandumq studium Sancti pijq moris. Statuimus libro mediocrem formam, ut comparari à Vulgo & usurpari possit. Ignoramus in quæ tempora nos aut posteri nostri possint incidere, turbas jam palam agitante clero Pontificio, & Summa imis potius miscere molientis quam pati frenū injici Suæ licentiæ & libidini invadendi nostrorū bona & libertatem. In Palatinatu, provincia Germaniæ, unde perfugi homines multi in Americā Vestram delati Sunt, ferociter adhuc Sæviunt Pontificij, conati adimere Evangelicis ædes Sacras, intervertere reditus ministrorū Ecclesiæ, & quocunq loco modoq possunt Vim inferentes; quæ violentia longius provecta esset, nisi principū Evangelicorū intercessio & mandata Imperatoris eam paullum cohiberent. Ne dicam de Machinationibus eorundem in alijs regionibus à quibus antea publica lege prohibebantur, & de reliquo adparatu imminentis Germaniæ nostræ Dei Vindicis. Huic igitur occurrere homines, cum cæteris ejus Servis docemus, & quo Vox nostra penetrare non potest, ut qualiacunq Scripta eò deferantur, & efficiant, cui destinata Sunt, negotium, laboramus.

Certe hic est præcipuus finis, cui velificatur Typographia & libraria nostra; Sicut vel prima occasio eam erigendi ostendit. Quid insuper commodi in reliqua instituta nostra inde redundet, grata mente accipimus.

De Pharmacopolio nostro hoc accipe: medicamenta ejus passim cupide & bono cũ Successu adhuc usurpantur. Proxime à Russis & Polonis ~~& Polonis~~ quibusdam petitum fuit, ut ea adhibendi modum Russicè & Polonicè describamus; quod facturi Sumus.

XII.

Prædicamus autem divinam Providentiam, quæ effecit, ut tot tantaq; Septennis hujus intervalli onera Sustinere potuerimus, flexitq; animos hominũ ad porro Succurrendum nostræ necessitati. Certe Sicut hanc in illo posueramus fiduciam; ipsum pro benignitate Sua, nos in progressu institutorum nostrorũ non derelicturũ; ita Sane spem hanc liberaliter implevit. Licet enim numerus cibum capientiũ, & mercedem pretioq; pro operis poscentium valde Succreverit; Sic tamen nobis præsto fuit largitas illa Superna ut ne dura quidem ejusmodi intervalla, qualia olim, fuerimus experti. Deus enim pro bonitate Sua, ubiq; tantum exhibuit quanto opus erat. Omnia ejus rei exempla & dona faventium huic instituto hominũ, porro exponere & publicare, uti in illo libro de Vestigiis Viventis adhuc Dei, repetitaq; aliquoties ejus continuatione factũ est, magni laboris & diffusiorum voluminũ foret, quorũ compositio me à magis necessariis negotiis esset prohibitura. Speciminis loco & in argumentũ, Deũ in hac Sua Providentia circa hoc opus hucusque constanter perrexisse, jam pauca exempla ex magna copia in mediũ proferam, principio ducto ab anno 1709. in quo desiit narratio Superioris libri.

1709.

Ex feminæ nobilis testamento, in quo Supplectilem Suam legaverat, hac divendita, mille Sexcenti & decem Imperiales, quos Thaleros apellamus, in Orphanotropheum tractu temporis redundarunt.

Amicus quoq; ex Anglia quindecim libras huc transmisit.

Hamburgo currus publicus attulit centũ Impe-

XII

1769

riales, eo, qui eos dabat, nomen & locum, quo degeret, reticente. Item deinde intra aliquot annos Sexies centum, ter ducentos Imperiales, quater quinquaginta, & Semel Septem ac Septuaginta aureos, quos Vulgo Ducatos Vocant, donavit: quod liberale munus nobis Sub ædificatione, quam his annis Susceperamus, Singulari adjumento fuit.

Quædam fœmina Viginti duos Imperiales & duodecim Grossos Misnicos, primũ locati domus pretium, & vir quidam duodecim Imperiales, primũ reditũ aditi muneris, dedit.

Fœmina Comes ducentos Imperiales exhibuit, quo tempore in quadã versabamur inopia. Equidem jam advehebantur ligna construendo puellarum habitaculo, cum nondum Suppeteret pecunia, qua redimi debebant.

Ex Vienna Evangelicæ Religioni deditus vir ducentos Imperiales ministravit.

Quinq & quinquaginta Imperiales ex Lutetia Parisiorũ à L. Barone qui exactis hic aliquot annis, illuc iter ingressus fuerat, adferebantur.

Mercator Venetus, Sacris Evangelicis addictus, in decem annos legatam Summam trecentorũ, quos vocant, Ducatorũ current. secundo Solvebat, quod etiam per octo insequentes annos fecit.

Fœminæ aliquot nobiles centum & octodecim; princeps vero fœmina centum & Viginti; & princeps aliquis vir ducentos Imperiales dono dedit.

Ab exercitu fœderatorũ in Flandria, mittente præfecto aliquo, viginti Imperiales advenere.

1710.

Principes viri, alter quingentos & Septuaginta, alter ducentos & quinquaginta Imper. transmiserunt.

Vir nobilis trecentos Imper. à mortua conjuge legatos ex Magdeburgo, & ex Vienna alius, addictus Religioni Evangelicæ centũ & octodecim Imperiales transmisit, cum Epistola, in qua hoc erat: amicos quosdam

Dei & egenorū hominū amore, & lætitia, quam ex Deſcriptione Inſtitutorum noſtrorū cepiſſent impulſos, ducti loci Paulini 1. Cor. XVI. 2. Singulis diebus Dominicis Symbola conjicere cepiſſe in uſum Orphanotrophei noſtri; unde hæc Summa provenisset. Iſta vero collatio, quæ Secundo Sexaginta Septem, tertio quinquaginta Subminiſtravit Imper. viro illo, qui forte ejus curator fuerat, Vienna abeunte ad provinciam Suam, ceſſavit.

Idem Simul novem miſit aureos, donū miniſtri Evangelici in Tranſylvania.

Senator quidam Anglicanus quinq & viginti libras miniſtravit, motus, ut Scribebatur, certiſſimis divinæ Providentiæ documentis, quæ in his inſtitutis deprehendiſſet.

A Promontorio bonæ Spei Scheda Boruſſi cujusdam allata fuit, qua quinq & quadraginta Imp. Belgici Orphanotropheo aſſignabatur.

Semel iterumq Judæus ad nos acceſſit dicens, Se in mandatis habere, ut donatum à nonnullis viris Christianis, qui ignorari vellent, pecuniæ Summam nobis Solvat, deditq primo trecentos, Secundo quadringentos Imperiales.

In pixide, quæ Sub introitu Orphanotrophei conſpicitur, Scheda reperiebatur, cui tres Imp. involuti & hæc Verba inſcripta erant: mulier quadraginta & octo annos nata, cum, magna Sanguinis copia ex ore profluente, mortuæ Similis jam jaceret, nec ullum amplius prodeſſet medicamentum, parata in Orphanotropheo eſſentia dulci, revaluit; itaq in grati animi teſtimoniū hoc munuſculū Orphanotropheo offert.

Medicamento eodem Sanatus homo triginta Imperiales Doctori Evangelico dedit, qui illos ad nos deferri curavit.

Hoc anno miniſter Regis noſtri jugera quædam in agro Hallenſi Sita, emendis pro Diſcipulis noſtris libris dicavit.

Princeps quidam teſtamento præcepit, ut mortua conjuge, Sex mille Imper. Orphanotropheo exſolverentur.

1711.

Allatum fœminæ principis donum fuit, quod centū & quinquaginta Imperialibus conſtabat.

Dynasta quidam Silesius septingentos Imperiales cū annulo, qui propter insignem Adamantem pro centū & quinquaginta Imperialibus venditus fuit; & alius, divenditis Candelabris argenteis & ornatu capistrorū equinorū, pretiū cum non vulgaribus quibusdam monetis, & insigni annulo largitus est.

Canonicus quidam Magdeburgensis sub mortem jussit vendere acervū frumenti, & nobis pretium, quod quadragintorū sex & octoginta Imperialiū erat, donare.

Præfectus militum in Saxonia inferiore, cum statuisset nobis legato mille Imperiales relinquere, hos nobis dum in vivis esset maluit tradere.

Alius dux bellicus donavit bis mille Imperiales.

Nobilis Matrona ex Anglia quinq; & viginti libras transmisit.

Accedebat etiam hoc anno ad me sub vesperam vir gravis, dicebatq;: se ante aliquot annos cepisse consilium aliquid in pios usus impendendi; hoc se nunc donaturū Orphanotropheo, & simul exhibuit centū Imperiales, promittens se adhuc semel rediturū. Hæc summa nobis sub summa egestate obtigit, eoq; major causa exstitit Numen laudandi ac prædicandi divinā Providentiam. Interjecto tempore idem attulit centum, & paulo post centum & quinquaginta Imperiales, sed renuit nomen suum indicare.

Tradebantur quoque novendecim aurei cū literis, quibus itidē ignotus vir nunciabat: se in aciem jam proditurū, ac ideo se & uxorem quam gravidam relinquerat, quæ & Orphanotropheo multū boni deberet, precibus nostris commendare.

Nobilis fœmina ex Saxonia inferiore misit centū & octo Imperiales, & Amstelodamo ducentos accepimus Florenos Belgicos, quos quidā Orphanotropheo legaverat.

Divini Verbi minister, nato sibi filiolo, quinquaginta Imper. donavit.

1712.

Ducentos Imper. fœmina Princeps; Dynasta quidam centū sex & quadraginta; alius centū & quadraginta quinq; cum pretioso annulo, quem pro centū & octoginta Imperialibus vendidimus; & minister quidam Evangelij ex Saxonia inferiori Adamantem transmisit, venditū pro trecentis Imperialibus, donatū ab homine quodam, quem in spiritualibus

anguſtiis laborare ſcribebat.

Alius Evangelij Doctor ex urbe Moſcua centū & quadraginta ſeptem Imper. quos in ædibus Legati cujusdam, in aula illa commorantis, acceperat, miſit.

Hoc anno primos reditus ~~accepimus~~ percepimus ex legato à Caſtelli Madeburgenſi Præfecto mille Imperialium Summa; & ex legato degentis in Anglia amici Septuaginta quinq; Libræ Orphantropheo obtigerunt.

Nobilis quidam vir Megapolitanus, voti cujusdam compos factus, dedit quinquaginta Imperiales.

Miniſter Evangelicus ex certa civitate Imperiali miſit Epiſtolam, quam in Suggeſtus Scala invenerat, Orphanis Hallenſibus inſcriptā. In ea erant duo aurei nummi & annulus.

Alius filiolæ peculium, Imperialem viginti & unū groſsum; & pauper quidam Theologiæ Studioſus, cum à Patrono decem Imper. accepiſset, decimam doni partem, Orphanotropheo tradidit.

Hoc anno tanta aliquando inopia premebamur, ſub Regij Paidagogij exſtructione, quanta antea nunquam. Sed Dominus animum meū magna adverſus abjectionem Spei munivit fiducia. Veniebat mihi ſubinde in mentem: tam facile Deus ſuppeditare poteſt, quantum requiritur, quam homini proclive eſt dare aliquid Scobis. Sic quando incipiebam eum rogare, ut Succurret inopiæ, ſpes animo ſtatim affulſit tam certa illum mox opem laturū, ut non potuerim diu in tali precatione anxie morari, ſed totus in ejus laudationem abreptus fuerim. Haud multo poſt tradita mihi epiſtola fuit Comitis fœminæ, qua nunciabat: Sororem octo millia Imperialiū legaſse Orphanotropheo, quæ ipſa hæres ſolvere parata eſset.

1713.

Princeps vir quingentos ſeptem & ſeptuaginta, fœminaq; ejusdem dignitatis ducentes ſubmiſit Imperiales.

Nobilis vidua centū & quinquaginta; militum Præfectus quidam duentos, & totidem alius belli ducis vidua, itemq; Conſiliarius quidā miniſtrarunt.

Ex Moscovia matrona centũ aureos, Vidua Evangelici mercatoris ex Venetijs quingentos sic dictos Florenos Imperij, legatos à defuncto marito; ex Belgij finibus mercator centũ Florenos Belgicos, ex Anglia amicus, plurium munus octo libros, alius ex Suecia Septuaginta Imperiales, ex Russia Præfectus militum captivus, natione Suecus, nummũ aureũ submiserunt.

1714.

Matrona nobilis trecentos & duodecim Imperiales, Vir illustris, centum & nonaginta sex Imp. alius centũ & Septuaginta Sex; alia Matrona ducentos & quinquaginta; Præfectus militum centũ quadraginta & unũ; alius quidam Vir centũ & octoginta Imperiales; Vir nobilis centum Imper. largiti sunt.

Accessit viri in Russia mortui legatum centum Septem & triginta Imper.

Item Vir quidam ex Thuringia centũ Imper. à demortua conjuge legatos, transmisit.

Vidua Comes, centũ, totidem alia, & fœmina princeps centũ ac novendecim præbuit.

1715.

Duo millia Imper. à Consiliario quodam legata, accepimus.

Comes centum & novem; alius ducentos & Septuaginta duos; Præfectus militum ducentos; totidem alius vir, matrona nobilis centum & viginti; & Consiliarius Aulicus centũ Imperiales donarunt.

Attulit etiam Minister Evangelicus Diœceseos Magdeburgensis mille Imp. ab uxore demortua Orphanotropheo destinatos.

Anglus per mercatorem hujus loci quadraginta Imperiales exhiberi curavit, & ex Norvegia adportavit quis quinquaginta quinq. Imper. cœtus cujusdam Ecclesiastici munus.

Studiosus juvenis qui hic obibat mortem, ducentos Imperiales legavit.

Vir quidam, quem Deus magna molestia liberaverat, grato in hunc animo quinquaginta donabat Imperiales.

1716.

Teſtamentum Virgo hujus loci condidit, ex quo quingentos & quinquaginta
Imper. Orphanotropheũ obtinuit.
Mille etiam Imper. vir Nobilis in Provincia Magdeburgica legavit.
Matrona quædam, in Ruſſia degens, gemmas donavit; pro quibus octo=
ginta Imper. accepimus.
Pater quidam gratum erga Deum animũ profitens, pro vita filio in
occupatione Rugenſis inſulæ & Stralſundi obſidione ſervato, Orpha=
notropheo ſex Imperiales largitus est.
Comes aliquis centũ Imper. alius ducentos; totidem alius; dux belli
centum; matrona nobilis totidem; & Vir quidam doctus quingentos
Imper. dederunt.
Quidam quadraginta aureos nummos, furto olim ablatos, cum non
ſuperesset, cui eos reſtitueret; & miniſter quidam Evangelicus, medi=
camento noſtro, eſſentia dulci, ſanatus, duodecim Imperiales huc trans=
miſit

1717.

Fœmina Comes, ſupra dicta, quæ octo millia nobis legaverat
hæres, hujus exemplo duo millia Florenorũ; item Vir nobilis
in Thuringia mille Imper. Septingentos florenos ſtudioſus
juvenis, qui hic diem ſupremũ obiit; & octoginta Florenos Fran=
conicos alius in Franconia nobis legavit.
Acceſſit legatum ex Anglia 8. Librarũ & 15. Sh.
Amicus in hac urbe novendecim aureos dedit, cum Scheda, in qua
hæc Verba erant: is quem Deus ad montem Ararath uſque duxit,
reduxitq incolumem, offert hos aureos, itineris hujus exuvias.
Comes quidam quadringentos; & Comes fœmina
centum Imper. transmiſit.
Præfecti militaris uxor dedit centũ, & totidem Vir illuſtris.
Conſiliarius quidam centũ Imper. & mercator Venetus quin=
quaginta Florenos largitus est.

1720.

Fæmina princeps centum et quinquaginta imperiales largita est.

Viri magnæ dignitatis, alius ducentos; alius quadringentos; alius quadringentos sex; Vir nobilis ducentos; et alius centum et octoginta imperiales dederunt.

Testamento nobilis matrona Orphanotropheo trecentos et viginti imperiales reliquit; et alia matrona donavit trecentes et quinquaginta.

Ex Vienna ducenti transmissi sunt, quos minister pharmacopolii cujusdam in Transylvania, educatus olim in orphanotropheo legaverat; et amicus Halensis centum moriens nobis tradere jussit.

Evergeta quidem Anglus quinquaginta libras; centum libris alius largitus est.

1718.

Comes quidam ducentos, & ejusdem dignitatis Vir quadringentos; & illustris Matrona testamento qui̅gentos nobis Imperiales dederu̅t.

Præfectus militiæ mille; & alius totidem donavit.

Decedens hic Virgo mille, & ministri Ecclesiastici uxor ducentos Imperiales legarunt.

Minister Regius, centum Imper. donavit; & nobilis Vir, quod filius ipsius in Pædagogio nostro bene institutus esset, centum Imperialiu̅ dono animu̅ gratum testatus est.

Alius duodecim Imper. usuram ducentoru̅ Imperialiu̅ Orphanotrophio destinatoru̅, quotannis mittere cœpit.

Ex Anglia Agricola quidam 5. Sh. & ex Nova Anglia quidam Viginti duos Imperiales ministravit.

1719.

Transmisit ex Anglia illustris Societas, propagandæ Christi cognitionis studiosa, viginti quinq Libras, viri eruditi munus; & alius amicus Viginti antiquos nummos aureos pro libris 23. & 11. Sh. permutatos.

Decem Libræ hoc tempore etiam ex America Vestra allatæ sunt.

Magnus quidam Princeps octingentos & octoginta septe̅; ejusq conjux trecentos; tres Comites unus centum & sexaginta octo, alter ducentos; tertius quadringentos; & vidua cujusdam Comitis ducentos; dux belli centum; Præfectus Cohortis militu̅ centum; & alius totidem donarunt.

1721.

Famulus quidam offerebat centum Imper. sine mentione mittentis.

Senator Londinensis decem lib. & totidem matrona donavit.

Comes quidam ducentos; alius comes quadringentos; alius quadringentos & Viginti Imperiales. Præfectus militiæ tredecim & centum; vir nobilis centu̅; item alius centu̅; & totidem

[illegible]

1719

[illegible]

1721.

[illegible]

matrona; & Evergetæ quidam ducentos & Septuaginta Imperiales exhibuerunt.

Doctor quidam Ecclesiasticus qui mille Florenos Orphanotrophio legandi consilium ceperat, hoc anno quinquaginta Florenos usuræ loco solvit.

Hactenus exempla donationũ, quæ ex antegressis annis excerpsi, ut intelligas, nec in hac parte divinam nobis defuisse gratiam. Hanc, dum ejus legis documenta, rogo, mecum prædices, nec offendaris narrationis injucunditate, quam nudorũ accervatio numerorum fecit, in ultimis præsertim annis, ubi paulo latius hucusque fluentem orationem statutus Epistolæ modus, intra arctiorem jussit alveũ ~~ex~~cohibere. Aliter singulis pene donis, quæ noscere voluptæ foret, addi momenta potuissent.

Ut id exemplo illustrem, anno 1709. liberalia ἀνωνύμου cujusdã memorantur munera. Quorũ unum exhibebatur aliquando eo ipso momento, quo tantundem pecuniæ ad inevitabilem impensam opus erat: quod me magna afficiebat lætitia, cujus tam opportunũ largitorem, si is mihi fuisset notus, libenter fecissem participem.

Sic quod anno 1716. de dono, quod minister Evangelij quidam sanatus medicamento nostro, essentia dulci, misit, narratur, ita se habet, certam ille jubebatur solemnitatem suo honestare sermone; sed subito oborta valetudinis adflictatio hoc, quod non commode recusare poterat, obeundi facultatem adimere videbatur. Verũ sumta essentia dulci, extemplo convaluit, suoq; potuit officio fungi: quod inesperatum auxiliũ causa ipsi donationis illius fuit.

Hujus aliusq; generis rationes innumeras quibus Deus homines movit ad beneficentiam suo quamq; loco, si licuisset, in mediũ potuissem proferre; nolui tamen intactũ prorsus hoc momentũ relinquere, ideoq; magnis interdum parva immiscui dona, quod in his singulare quiddam reperirem.

Quale hoc etiam est, quod quidam in collocatam sub ingressu Orphanotrophei pixidem, nummũ aureũ immiserit cũ schedula

(153)

habentibus [illegible] perfecte [illegible] [illegible] [illegible]
fuit.

Deinde quidam [illegible] qui multo [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] hoc [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] exemplo [illegible] quae ex [illegible].

Idem exemplo [illegible] anno 1709 [illegible] anno 1710. [illegible].

XIII.

[illegible] [illegible]

Jaceat hic Servatus neceſsitati nummus, Deus juvit & amplius juvabit. Jehova Spes mea! Quantum intelligi ex his verbis poteſt, Spem illa in hac auri particula locaverat; cognito autem & experto auxiliatore vero, falſi auxilij fiduciam vanam ita ulciſci, & puſillo animo vim quaſi voluit inferre.

Sicut iſta propter rationem, ita alia ob modum memorabilia fuerūt. Ut unum alterūq hujus generis exemplum adferam; erat in quodā Westphaliæ tractu Sacrorū antiſtes, qui inde ab anno 1710. quotannis Sub exordium anni æquiparatam accedentis ad Seculum anni numero pecuniæ Summulam miniſtravit. Circa præteriti anni finem, jam mandaverat certo homini, ut viginti duo Imperiales in hunc, quem incipimus annū, nobis donarentur. Sed ipſe, mox ante ejus initiū ex hac vita deceſsit. Vidua tamen poſt mortem præbuit deſtinatum munus.

Jucundius est quod nobiles aliquot fœminæ, quarū largitio sub anno 1709. memoratur, continuataq; poſtea fuit, inter se inſtituerūt. Cum pro fortuna sua non neceſse haberent laborare, texere tamen, nere & alia id genus agitare cœperūt, & venditis quæ confecerāt, huc miſerunt pretium, ut ad Sublevandam pauperū inopiam adhiberetur. Adeò commoditates etiam, quibus frui poſſe videbantur, omittunt eum in finem, ut noſtris Subveniant Inſtitutis: quam προθυμίαν ei, à quo profecta est, Submiſſe ferimus acceptū.

XIII.

Quemadmodum vero Sumptibus neceſſarijs Deus benigniſſimus nos inſtruit; ita nobis alia etiam, quæ ad perpetuitatem operis pertinent, non patitur deeſſe. Tutela certe Regis noſtri, magno cumulo ad benevolentiam priſtinā his annis accedente, adhuc clementiſſime nobis patrocinatur, multorūq male his inſtitutis cupientiū conſilia & inſidias retundit.

Anno 1720. die IV. Octobris cum Halam inviſeret, paucis ab adventu

horis Orphanotropheū ſecundò perluſtrare dignatus est, ſtipante ipsum Deſsavienſi & pluribus juventutis principibus, Summisq; belli ducibus. Mirificè placebant Regi nova incrementa, quæ ab anno 1713. quo primum Orphanotropheum ſpectaverat, Deus nobis largitus est: multa ex me quæritabat de omnium Institutorū ratione & administratione, meq; diſserentem de his patienter & magna cū clementia audiebat, uti poterat ſpectatorum quisq; vel ex ore ejus conjectare. Diſcipulos cunctos Pædagogij, deinde etiam Orphanotrophei, juſsu ipſius congregatos, contemplabatur, & nonnullos humaniter compellabat.

Ædibus omnibus aditis, veniebat mecum in hypæthriū Pædagogij, unde uno obtutu domos omnes proſpectans, jucundo ſpectaculo frui videbatur. Heic clementer ſignificabat: die Dominica poſt ſacra publica ſe mecū colloquuturum, me vero antea auditurū pro concione dicentem. Id quod factū est: nam die illo coram legioni, in ædē ſacram congregata, præſente Rege & comitatu ſplendidiſsimo, de Juſtitia & Robore, quod in Domino habemus, ex Matth. IX. 1-8. Sermonem habui; qui Sermo jubente Rege, typis exſcriptus, ejusq; exemplum ipſi transmiſsū fuit. Finitis ſacris, Regem adij, comitatus à Collega Rev. D. Langio, quem ſimul ingredi juſsit, & remotis arbitris, de multis, quæ ad utilitatem publicam ſpectant, nobiscum contulit Sermonem; quod Deus effectu non ſinet carere.

Princeps quoq; Anhaltinus Deſsavienſis, qui inter cæteros, Regem comitabatur, aliquot menſibus ante cum nonnullis exercitus regij Ducibus Orphanotropheū inſpexerat, & juſserat me coram ſe & militibus verba facere: in quo tunc & illi obſequutus ſum, & animū heroicū fidelius ex Luc. XII. 1-5. ipſis commendavi; qui Sermo etiam, ipſo deſiderante, typis impreſsus ~~est~~ fuit.

XIV.

Nec patrociniū Supremi Magiſtratus tantū Deus nobis peperit auxilij, ſed fideles etiam tam operoſi laboris ſervavit adminiſtros, & decedentibus nonnullis, extemplo alios ſuppeditavit. Protractis anno 1715. magis

quam vocatus ad Sacerdotium urbanū ædis Ulricianæ, cum antea in Suburbio Glaucha dicto, populum docuissem, nec illud potuissem ulla recusatione objectisque difficultatum avertere: novo indigebam Collega, qui, me in urbem commigrante, Glauchæ maneret, meq; in dirigendis Institutis omnibus adjuvaret. Animo mihi prospexi virū ex veteri consuetudine cognitum: is enim, cum sub initiū hujus Sæculi Facultati Theologiæ Adjunctus esset, iisdem mecū ædibus, eodem Museo, meq; simul mensa usus fuerat. Sed ille interea ad Ecclesiastica munera aliorsum vocatus, in principatu Nassoico Idsteniano Super-Intendentis & concionatoris aulici officia obibat. Nondum igitur certo mihi constabat, num ille munus aliud adire vellet, aut posset? At en singulare divinæ Providentiæ specimen! Eodem die, quo primū in æde Ulriciana habebam concionem, idem vir amicus, R. D. Ja. Dan. Herrnschmidius, ignarus tamen quid Halæ jam ageretur, huc appulit. Itaq; intellecto Numinis nutu, cum me salutaret, confestim ei dixi: in tempore ipsum advenire, me enim in animo habuisse hac ipsa hora Epistolam scribere, qua συνεργὸν eum mihi voluissem expetere; jam omnia rectius inter præsentes agi posse. Ille respondit: se quidem sine certo consilio huc venisse, rogatum à Consiliario principis sui Martisburgum misso, ut comitem se præberet itineris. cæterum Domino Se-
^ nū dimissionem ^impetraturus foret testavi tamen quantū in se esset
rem commendare, & quamvis spem videre nondū posset, promtam voluntatem in serviendi Rev. Facult. Theol. & Orphanotrophei institutis, utpote veteris amoris adhuc obstrictū vinculo. Vocatus igitur paulo post à Rege ad suscipiendam Professoris Theologiæ Ordinarij spartam, quantum in ipso fuit haud obluctatus est. quamvis princeps ægre eum pateretur discedere; huc tandem autumno 1716. cum familia delatus laboriosam Scholarū, & rerū in Orphanotropheo gerendarū curam mecum partitus est. Itaq; præter ea, quæ officiū Professoris ordinarij requirit, Orphanotrophei Scholis præclare prospicit, interest Præceptorū conventibus, qui certis unaquaque hebdomade horis haberi solent, & illorum privatim quoque

audit deſideria. De omnibus vero meũ communicat, idq vel ſingulis vel corã in conventu reliquorũ Adminiſtrorũ, quorũ quisq de ſuarũ partium procuratione ſtata illa hora ſingulis hebdomadibus refert, conſulitq quid porrò facto opus ſit.

Conventus hujus mentio monet me hoc loco perſcribere quod ſupra narrare debuiſſem in deſcriptione Scholarũ, quarũ felix ſucceſſus magna ex parte pendet ab his conventibus, & quotidiana claſſium luſtratione, quam Inſpectores horumve Vicarij peragunt.

Varij autem inſtituti ſunt conventus Præceptorũ. Diei ſeptimi hora XI. Præceptores omnes, tam Latinæ, quam Germanicæ Scholæ congregantur, præſidente modo Rev. D. Herrnſchmidio, modo Inſpectore Hoffmanno. Decantato hymno, precibusq fuſis à Præceptore qui nominatim ad hoc invitatur, Præſes cohortatur præſentes, duce libello Sacri argumenti, vel præſcripto legum, quibus magiſtrorũ officia continentur. Heic indicantur animadverſi errores, & eorũ correctio, prolatis in apertũ rationibus inculcatur.

Alio tempore nempe die quarto eadem hora Latinæ Scholæ Præceptores, ut ſupra oſtendi, ad Rev. D. Herrnſchmidiũ conveniunt. Invocatur primũ Deus & admonentur juvenes Scholaſtici ad Sacrã cœnam acceſſuri. Deinde his dimiſſis, ordine proponuntur & excutiuntur in Ephemeridibus notata, relataq ex ijs in librũ, qui ea habet, quæ monitionem requirere putantur. Poſtea liber iſte cum ephemeridibus ad me defertur, ubi pro re meam adſcribo ſententiam.

Die ſeptimo ſub veſperam hora ſexta magiſtri Germanicæ Scholæ congrediuntur, ſed ſeorſum qui puellas ad pietatem informant. Rev. D. Herrnſchmiedius & Hoffmannus Inſpector alterne ijs præſunt. Cantu & Supplicatione religioſe venerantur Dominũ; poſtea cunctis ex ordine facultas datur, quod viſum fuerit indicandi monendive. Commemorata dijudicat Præſes; vicarij vero Inſpectores, omnia calamo excipiunt.

Jam Sexto quoq; die hora undecima domeſtici Præceptores in domo Scholaſtica coeunt, & inter ſe communicant ea, quæ ad habitationem & vitam alumnorũ privatam pertinent.
Porrò die quarto hora Sexta Veſpertina Inſpectores ipſi inter ſe conferunt. Item alio tempore de cænaculo & rebus huc ſpectantibus agitur. In utraque conſultatione adeſt Rev. D. Herrnſchmidius: omnia etiam Scripto mandãtur. Tandem is conventus hora tertia diei Secundi apud me celebratur, cujus modo feci mentionem, quiq; precando inchoatur ac finitur.

XV.

Ita conſtituto ordine, & hunc prudentiſſime retinentibus miniſtris, nec abſentia mea fraudi inſtitutis eſſe Solet. Expertus id Sum ante quatuor annos, quo tempore plures menſes ab hac urbe abſui. Academicum illo tempore geſſeram magiſtratũ, quo utpote laborioſiſſimo perfunctus, cum valde imminutas corporis vires Sentirem, eas, itinere quodam, in quo Simul amicos quoſdam inviſeram, credidi recolligendas potius eſſe, quam alterna quietis neglectu oneri Succombendum. Non Statueram initio tamdiu morari in peregrinatione, Sed in ipſo itinere Deus longius progrediendi cauſam & viam Subinde oſtendit, quam omittere religioni mihi ducebam.
Hala-digreſſus tranſivi Vinariam Principis Saxonici Sedem, Erfurtũ & Sedem alius ducis Saxoniæ, Gotham. Hinc in tractũ Iſenacenſem veni, cui etiam Saxoniæ princeps quidam imperat, & inſpecta arce Vetuſta Wartburgo, quam B. Lutherus Patmum Suum appellare Solitus est, in Haſſiam, inclytam Germanici Imperij provinciam, delatus Sum. Hirſchfeldam, abbatiam olim, jam principatum, atq; Gieſſam academia claram tranſgreſſus, Francofurtum, liberam Imperij civitatem, & deinde per Wiſbadiam & Idſteiniũ, quibus Naſſovienſis princeps imperat, Hachenburgũ, quod à Burggravio de Kirchberg poſſidetur, hujus vocatu perveni; inde Weilburgum, propriam Naſſovienſi comiti urbem, porrò Wetzlariam, liberam civitatem & Sedem judicij Imperialis. Hinc redire Gieſſam properabam,

Sed a comite Solmenſi, judicij illius Præſide, Laubacũ ejus ditionis oppidũ, & Gedenam ad Comitem Stolbergenſem adductus Sum. Poſtea Gieſsam, ut hujus loci amicis promiſeram, profectus Sum, unde excurri in vicinam urbem, Marpurgũ, Academia nobilitatum, quod Caſselano principi paret. Exinde per Uſingam, Principis Naſsoviensis Sedem, repetivi Wiſsbadiam, ubi princeps Idſteinianus, qui antea abfuerat, mecũ volebat colloqui. Tum Gerauiam, quæ in Vicinia est, ad amicum acceſsi, qui me Secum Darmſtadium, aulâ principis illustre, duxit. Poſtea Noribergam tendens, in Comitatũ Erpacenſem, Fürſtenaviam, & Erpacum comitũ rogatu perveni, & inſpecta in via Heidelberga, antiquâ in Palatinatu Electorali Academiæ Sede, Heilbrunnam quæ Imperiali libertate fruitur, & in Comitatum Honenloicũ veni invitatus, aditisq; illorũ oppidis, Pfedelbacho & Ingelfingo, ubi publico Sermone Jubilæi Evangelici Solemnia juſsu Comitis celebravi, Sontheimiũ me contuli, quo me vidua comes Limburgenſis vocabat. In itinere hoc Halam deveni, quæ libera civitas est, & diſcriminis cauſa Suevica appellatur. Hic quod me Jubilæum oratione claudere Senatus volebat, per aliquot dies ſubſtiti. Ex hac regione intenſiſsimis amici precibus, & miſso Tabellario, iter in Ducatum Wirtenbergicũ præter intentionem meam flectere coactus Sum & Stutgardiam primũ deveni, quæ præcipua illi urbs est, unde Singulari caſu interveniente, Ducis Wurtenbergici juſsu & Sumtu deductus Sum Tubingam, Academia illustrem, viſis monaſterijs, quæ Denckendorffiæ & Bebenhuſæ Sunt. In his monaſterijs juventus ad studia Academica præparatur. In Blaubeurense etiam deduci debebam, Sed Biberacũ à magiſtratu evocatus, iſtuc Ducis impenſa vectus Sum. Postquam verò inde Ulmam veniſsem, Blaubeuriense quoque monaſterium, quod non procul abest, inviſi. Ingruente hyeme vehementiori, Ulmæ per aliquot hebdomadas manſi, ac cũ Doctoribus Eccleſiasticis ac Scholaſticis hujus civitatis verſatus Sum: poſtea amicorũ rogatu Augustam Vindelicorũ abivi. Hinc, directo itinere per civitates Imperiales, Nördlingam, Bopfingam, inde per principum Sedes Oetingam & Onoldsbacũ in finibus Franconiæ Sitam,

Norimbergam contendi. Poſtquam in vicinia Academiã Altorphinam viſiſſem Halam redij, Erlangam, Culmbachiū & Cheruſcorū regionem, vulgo ~~Vigt~~ Voigtlandiam, transgreſſus.

Loca, ubi ſub ipſo itinere rogatus pro concione dixi, hæc ſunt: Wiſbadia, Idſteiniū. Hachenburgum, Wetzlaria, Laubachium, Gederia, Giessa, Darmſtadium, Furſtenavium, Ingelfinga & Hala in Suevia, Sontheimiū, Stutgardia, ~~Oetinga~~ Tubinga, Biberacū, Ulma, Blaubeuria, Auguſta Vindelicorū, Nördlinga, Oetinga, Onoldſbacū, & hæc Voigtlandiæ oppida Eberſdorffiū, Schlaizia, Graizia, Gera. Privatim Norimbergæ in conventu privato, apud Rev. Ambroſium Wirthiū fidelem miniſtrum Evangelicū, haberi ſolito, bis verba ad ſalutis cupidos auditores faciebam.

Sermones iſti rogatu audientium partim in lucem editi ſunt: nempe Wiſbadienſis, de cognitione Chriſti fundamento omnis veræ Chriſtianæ victoriæ & triumphi ex Eſ. VIII. 9–15. quem locum ſub publica gratulatione, quæ habebatur propter victoriam ad Belgradū reportatam, explicari volebant. Idſteinienſis, de humanitate Domini Jeſu in ſuſcipiendis peccatoribus, ex Matth. IX. 9–13. Hachenburgenſis, de Voluntate Dei ſecundum legem & Evangelium ex Matth. XXII. 34.–46. Stutgardienſis de recto uſu per ſe clari Vaticinij de extremo Judicio, ex Matth. XXV. 31.–46. Tubingenſis de ſuſceptione Chriſti ſub exemplo ſuſcipientium, rejicientiumve illum, ex Matth. XXI. 1.–9. Ulmenſis de Fide in Dominū Jeſum, ex Joh. II. 1.–11. Blaubeurenſis de exhilarato hominis animo, naſcente Chriſto, ex Luc. II. 1.–14. & alloquium Norimbergenſe 1.) de Præſidijs quibus fructuoſe uti poſſimus in exercitio veri actuoſique Chriſtianiſmi, & ad ejus incrementū 2.) De claſſibus certis adeuntium S. Cœnam, ſecundū quas hanc frequentaturi ſui explorationem inſtituere poſſint.

Hoc iter, licet valetudinis reſocillandæ gratia, ſuſciperetur, non infructuoſum tamē fuit intuitu etiam aliorū, dum ut patet ex dictis, paſſim divini verbi opes explicandi contigerit occaſio. Apparuit ~~ex~~ in multis auditæ veritatis fructus, in nonnullis ejus clarior

cognito, maxime in iis, qui antea de doctrina noſtra ex calumniis & frivola Suſpicione judicaverant. Correcta de vero recteq; judicia, ut cætera prætermittam, vel hoc indicio declarata fuerunt, quod ab illo tempore ex his regionibus plures ad Academiam noſtram confluxerint ſtudioſi juvenes, [quibus antea ob Suſpicionem, in quam eramus à malevolis adducti, non adeo liberum fuiſſet noſtram adire Academiam.

XVI.

Reduci ex hoc itinere contigit aliquid, quod, ut pote copioſam lætandi materiam, cauſamq; agendi Domino gratias, paulò latius exponam.

Mauritius Guilelmus, Princeps Saxoniæ ex proſapia Electorali prognatus, Cizenſis ſeu Naumbergenſis olim Epiſcopatus, jam provinciæ Dominus, eruditione inter principes noſtri Sæculi virtute facile primus, Religioni Evangelicæ publicè nuncium miſerat, Pontificiam amplexus: cum quo à longo tempore verſabatur ex Vienna profectus Jeſuita P. Schmeltzerus, erroris partim auctor, partim confirmator. Principem hunc ego antea nec videram, nec cum eo unquam collocutus fueram, nulla id tentandi occaſione oblatâ.

Sed mihi in illo itinere verſanti amici quidam aliquoties nunciarunt: exiſtimare nonnullos, inprimis Sereniſſimam conjugem, Regis noſtri amitam, non infructuoſum fore, ſi ex via ad Principem diverti, & cum eo de Religione ſermonem conſerere vellem; quod ille certe pro ſingulari ſua humanitate non inique laturus eſſet. Reſpondi vero: me ſine expreſſa vocatione non poſſe venire, ne in re tam gravi temere quid auſus facere plus damni quàm utilitatis illi adferrem. Domum reverſus iisdem verbis multorum hortationi repugnavi, præſertim cùm adhuc ignorarem an revera me illuc venire vellent.

Interjecto vero tempore, litteræ mihi ex illa regione adferebantur die 13. Julij 1718. ſcriptæ, quibus Miniſter quidam Evangelicus argumenta à me petebat ad Principem in viam Veritatis reducendum. commendabam ipſi libellum Speneri anno 1684. editũ, cujus titulus eſt: *Inſtitutio de beato ad Veritatem Evangelicam reditu eorum, qui ſe ab ea ad errores, maxime Pontificios, traduci paſſi, nunc*

divino Spiritu ad pœnitentiam impelluntur. Porro jubebam illum evolvere, quæ idem in Consiliis Suis Theologicis passim præclare de hoc argumento Scripsit; nec non libellum Christiani Alethophili [quod fictum nomen est] quo contra quendam, qui se Christianũ conscientiosum appellitaverat, asserit, hominem omnino posse in religione Lutherana æternam consequi Salutem: addidi: Si de animo Principis plura nunciaret, indicaretq; quo Spectandum Sit, me fini consequendo accommodatiora Suppeditaturũ. Ampliorem verò epistolam componere alia negotia me tunc Vetabant.

Iste amicus vero rescribebat: cupere Serenissimam conjugem principis, ut ipse venirem, & adseverare id Principi non injucundum fore. Videbam illos judicaturos, aut amore me carere ad tentandam errantis reductionem in viam, aut deficere animum veritatem Evangelicam coram doctore Pontificio defendendi, Si breve iter amplius recusarem. Respondi igitur: me hoc Serenissimæ Principis desiderium divinæ voluntatis Significationem interpretari, & defunctũ negotiis, quæ mihi jam incumberent, propediem accessurũ.

Profectus igitur hinc Sum die 10. Augusti & Cizam primũ ad Serenissimam Principem Veni. Læta illa meo adventu de eo nuncium Serenissimo marito, qui Weidæ degebat, adferre & indicare jubebat, me Castricio, quo festinabam ob aliud negotium, redeuntem, ipsum Salutaturũ. Castricij mihi tradebantur litteræ, quibus Significabatur, gratum Principi meũ adventũ fore.

Quo nuncio accepto, me in Viam dedi, & cum 13. Aug. venissem in illum locum, ubi Princeps morabatur, ab hoc statim ad prandium invitatus Sum. Antequam accumberemus, ex me de statu Academiæ & Institutorũ nostrorũ humanissime Sciscitabatur. Inter prandendum varij primum Sed utiles tamen Sermones instituebantur. Deinde animadvertens Princeps me nihil amplius edere, hanc proponebat quæstionem: quænam esset optima Religio? Aderat inter convivas P. Schmeltzerus Jesuita, cum quo disputandi his verbis ille præbere occasionem Volebat. Intellecta Principis mente, arreptisq; his Verbis

dicebam: facile ipſum conjecturũ, quas partes Sim Suſcepturus tuendas; nempe in Religione Evangelica puram & Apoſtolicam doctrinam reperiri; è contrario Pontificiam religionem magnis & atrocibus laborare erroribus: quorũ in præſenti unum alterumq; Solum commemoraturus eſſem. Primò Pontificios patefactũ in Sacris Scripturis Dei Verbum non pro unico fundamento & norma fidei vitæq; habere, Sed illi adſociare traditionẽ: Secundo eos unico illi & inviſibili Eccleſiæ capiti, Jeſu Chriſto, aliud, quod viſibile Sit, ignorante illud & reprobante Sacra Scriptura, adjungere. Ortum ita certamen est, quod circa credendi regulam verſabatur. Aderant nobiles quidam viri convivæ & pueri nobiles cũ cæteris miniſtratoribus, qui omnes Summa cum attentione dicta audiebant, neq; Principe neq; quoquam interloquente. Data hac verũ fatendi occaſione, ego liberam & roboratam rationibus confeſſionem edidi de veritate traditæ in Auguſtana confeſſione doctrinæ, quam profitetur Eccleſia Evangelica; & aperte demonſtravi, quid de falſis Papatus placitis Sentiendum Sit, oſtendens: homines, dum eos divini Verbi regula non contentos eſſe Sinant, conjici in incertam multivagamque deſtinationem, & in aberrationem periculoſiſſimam impelli: Unde id conſequatur, ut nullam adipiſci certam Scientiam poſſint, Sed ab arbitrio Pontificis, vel, cum hic quotidie & ab omnibus adiri non poſſit, cujusvis clerici pendere, & dictata cæca quadam fide amplecti cogantur. Contrà Evangelicam doctrinam, conſentaneam Apoſtolicis inſtitutis, Sequi homines Sacram Scripturam jubere, tanquam unicam eamq; fallere neſciam fidei normam. Citabam in teſtimoniũ notiſſima effata 2. Timoth. III. 15. 16. 17. & Joh. VIII. 31. 32. Ad hæc nihil regerebatur à Schmeltzero, quo argumentatio hæc dubia reddi potuiſſet. Sed confugiebat ad ea quæ in hoc genere vulgo objici Solent à Pontificijs, Sed dudum abunde refutata Sunt.

Poſtea intellexi non Sine divino conſilio diſceptationem de hac materia Suſcipi debuiſſe, cum nullius rei tractatio Principi, pro animi ejus conditione, quam tum quidem ignorabã, magis neceſſari

eſset. Hoc enim verũ defectionis ejus ab Evangelica Religione initium fuerat, quòd non firmiter tenuerat S. Scripturã, tanquam unicũ illud fundamentũ, quo fidem Superſtrui oporteret. Reperiebam liberiorem illam ac vehementiorem orationem meam de Papatu & doctrina Evangelica non offenſioni, ſed magno uſui fuiſse auditoribus. Unus ex nobilibus miniſtris, qui interfuerat prandio, adfirmabat; niſi hoc feciſsem, id varias cogitationes in multis excitaturũ fuiſse; hoc facto vero omnes eſse confirmatos.

A prandio, jubente Principe, apud ipſum remanſi. Accedebat ad me cum Conſiliario aulico L. Schmeltzerus, cui bono animo aperiebam: me ex verbis ejus intellexiſse, ipſum nondum animo ad Deum eſse converſum; adeoq; me ei nihil, quod melius Sit, dicere & conſulere poſse, quam ut Se toto animo ad Deum convertat; Siquidem nondum in vera Schola fuiſset, unde ignoret, quanti momenti res Sit, animũ ad Deum redire. Hoc ille videbatur contemtim accepiſse; nec tamen multum reſpondebat. Ego quidem non odio, Sed ex Sincero amore id de illo faſsus Sum: quod opto, ut Suo tempore efficax Sit, quo opitulante Spiritus Sancti lumine, clarius doctrinam Evangelicam introſpiciat, atque Sub recto illius uſu æternam impetret Salutem! Tum Princeps remotis arbitris in noctem uſque mecũ colloquutus est de eo quod reprehendat in Religione Evangelica, quodq; ipſum ad ejus defectionẽ impuliſset. Manu tenens Sacra Biblia, ex illis citata diligenter inquirebat, perpendebatq; accuratiſsime. Propoſito dubio, attente percipiebat ejus Solutionem. Quod præcipue urgebat, hoc erat: fieri non poſse, ut omnia, quæ credere Chriſtiana religione juberemur, & Sine controverſia ab Eccleſia Chriſtiana recepta eſsent, ex Sacra Scriptura liquido demonſtrarentur; itaq; opus eſse præſidiis traditionũ, & inprimis conſiliorũ, maxime œcumenicorũ, in quorũ judicio ipſe tandem acquieviſset; ratus, Se, duce horũ autoritate, Securã & tutam animo Suo viam ingreſsurũ. Proferebat in mediũ dogmata, quæ putabat Sacris litteris non luculente probari poſse, de æterna Chriſti & Spiritus Sancti divinitate, de myſterio trini Numinis, de Παιδοβαπτισμῷ, de Die Dominico, quo jure hic loco Septimi diei à

aliquando meminiſſet, faſſum eſſe Lutherũ, se suam de miſſa sententiam à Cacodemone accepiſſe; acceſſivit Jeſuitam, locumq in scriptis Lutheri inquirere juſſit. Paucis refutavi veterem criminationem, per malevolos ex detortis in alienũ sensum B. viri verbis confictam, quam multi, inter eos Seckendorffius in Historia Lutheraniſmi lib. 1. Sect: 45. pluribus refellerant, quem locum Principi poſtea per litteras indicavi. Exorta igitur de miſſa contentione; declaravit; maximam hujus cultus partem humano arbitrio inductã in Eccleſiam eſſe, quem non solum non requireret, sed damnaret etiam S. Scriptura, sine cujus præscriptione nobis nihil de colendi Deũ modo commentandũ eſſet.

Poſtridie, die 15. Auguſti ad vicinũ Comitem, in Graizenſi tractu Dynaſtam, me contuli; sed sub Veſperam illuc reverſus sum. Die 16. Auguſti rurſus ad prandium acceſſi invitatus, & nemine controverſiam movente, amoliri inſtitui præpoſterã de vero Χριστιανισμῷ & recta divinæ veritatis cognitione opinionem, & quid sit Deũ Chriſtumque vere noſſe & convenienter homini Chriſtiano vivere, autoritate & teſtimonijs divinarũ litterarũ oſtendi. Hoc fine etiam narrationes quaſdam subjeci, quarum proferendarũ in sermone subnaſcebatur occaſio, quæq ad commovend~~o~~ũ animos aliquid momenti habere videbantur.

Surgentes à menſa reliquam diei partem rurſus impendimus privato de doctrinæ Evangelicæ integritate colloquio. Schmeltzerus provocabat ad Irenæum & Cyrillum, illum maxime Miſſæ favere, eiq fatente Grabio, antiquitatem vindicare. Dedit mihi Princeps utriusque Patris Scripta, ut ea domi perluſtrarem: quo facto, objecta facile diluere potui. Oſtendebam quoq Principi adjunctum Cyrillianorum Scriptorum editioni Anglicanæ Indicem, in quo errores Pontificij cum Cyrilliana eorũ confutatione recenſentur. Ex Hala ei poſtea Theologi Jenenſis Buddei diſſertationem tranſmiſi, qua, Grabij sententia rejecta, docet: neq Clementem Romanũ, neq Irenæum toties à Jeſuita invocatos placitorũ suorũ aſſertores Miſſæ patrocinari.

Die 17. Aug. non interfui quidem prandentibus, propter adversam valetudinem: à meridie tamen Principis vocatu in aulam veni. Hic Evangelicæ & Pontificiæ doctrinæ differentiam illi explicui fusius, evolviq; cum eo loca Scripturæ, in quibus Ecclesia Romana sub imagine Babylonis & regni Anti-Christi depingitur. Dedi ipsi quoq; libellos, quos legeret post meū discessum: Scilicet supra dicti Speneri Scriptum, de Salutari ad veritatem reditu, & alterū ejusdem de Perseverātia in eadem: promisiq; me ei transmissurū Langii cujusdam Epistolam, qua anno 1699. vir quidam illustris à consilio deserendi veritatem Evangelicam sese passus fuerat deterreri. Noverat Princeps Langiū, cum hic Viennæ Legato Suecico à Sacris esset. Scitè ille in hac Epistola monet: iniquitatis illud mysteriū, quod in Papatu emineat, latere in nobis omnibus, à natura insitum: regnum Dei illi oppositum, quod in justitia, pace & gaudio Spiritus Sancti consistat, & doctrina Evangelica offeratur, non extrinsecus acquiri, sed oportere in nobis institui, & nos vere illi applicari: neminem gloriari debere, quòd à Papatu externo immunis sit, sed oportere quemq; curare, ut intra se ab illo repurgetur, ac pro illo Dei regnum introrsum in se admittat.

Tandem die 18. Aug. vale Principi dixi, & Halam regressus sum. Postea quod coram cœperam, scripto continuavi, non solum de eximendis scrupulis, qui reliqui esse possent, solicitus, sed monstrans quoque divinū ordinem, quo utentibus cognitionem veritatis Deus se concessurum promisit: qui ordo poscat, ut Deo animū addicamus, & submissa precatione expetamus illustrationem mentis, parati ad faciendū, quod Deus velit. Christum dixisse Joh. VII. 17. Si quis obsequi velit voluntati me mittentis, is intelliget, an à Deo hæc doctrina profecta sit, num vero ex me ipso illam proferam. Item, nudam notitiam veritatis Evangelicæ nec in hac, nec in altera vita quidquam nobis profuturam, dum nihil apud Jesum Christū valeat, quam nova creatio, qua norma & via nobis incedendum sit, si pacem & misericordiam participare cupiamus. Gal. VI. 15. 16.

At cunctante illo, & augescente cum superventuris difficultatibus

periculo, denuo ad ipſum d. 27. Sept. in hunc Senſum Scripſiſſe » Audiviſſe
me de motu conantium ipſi reditum ad Veritatem Evangelicam intercludere. »
Hoc nuncio impulſum Submiſſiſſime ipſum admonendi cauſa, pro mea æter- »
næ Salutis ejus cura, me aliquid ad ipſum Scribere conari. Dubitationem »
ejus ita eſſe comparatam, ut ab ea facile, Deo adjuvante, liberari poſſit; »
& Sicut ego jam ad ea omnia, quæ objeciſſet, reſpondiſſem; ita me porrò »
paratum eſſe pluribus illuſtrare, quod adhuc pro incerto habeat. Id me »
eam ob cauſam teſtificari, ut extremo illo die nulla neglectæ ejus animæ »
in me hæreat culpa. Sed hoc in anteceſſum cogitet, quod rationi conve- »
nire non poſſit diffiteri: à Domino Solo animum firmari Proverb. XVI. »
2. Diu agitari mentem noſtram trahiq; in diverſum, donec Deo eru= »
diente & tranquillante, conſiſtere poſſit. Documento eſſe Phariſæos, qui= »
bus ingeniũ, Scientia Scripturarũ & inſtitutio Chriſti nihil contuliſſet »
ad veritatis intelligentiam, Sed manſiſſe eos in errore. Quocirca »
Chriſtus Joh. VII. 17. denunciaſſet: niſi quis voluntati mittentis me »
obſecundat &c. Ita nec ipſi aliam Veritatem penitius introſpiciendi »
viam monſtrari poſſe, quam Phariſæis à Chriſto inculcatam. Non Satis »
fore doctrinam Evangelicam in Sacris litteris, quibus Solis Se impoſterũ »
addictũ fore recte pollicitus eſſet, inveſtigare, Sed requiri etiam propo= »
Situm & ſtudium cognitæ veritatis particulas Sub ipſo cognitionis prin= »
cipio ad vitæ actum referendi, & Sedulo vitandi quid quid patefacti Dei »
voluntati repugnare intelligat. Proinde jubente Deo, hunc aſſidue »
invocandum, ut Spiritum Sanctum impertiat, & hortante Petro in »
temperantia & Sobrietate ad preces advigilandũ. Animũ Sumat & »
ingrediatur certum hoc curriculũ non cognoſcendæ Solum Veritatis, Sed »
adipiſcendæ Salutis æternæ. In hoc ipſum Deũ adjutorem, defenſorem, »
& auxiliatorem habiturum: ejus virtute non Solum rationem Chriſti obſequio »
Subjecturũ, Sed Superaturũ etiam omnem dolum & potentiam Satanicam, »
& detinentium ipſum in errore, & certo cogniturũ, Deũ Se quærentium »
eſſe remuneratorem. Scire ipſũ Pontificios de ejus Salute æterna parũ »
eſſe Solicitos, Sed contentos modo externe eorũ partes Sequatur, & in Specimen

dediti ipſis animi Miſſæ interſit: cæterū illos sinere ipſum peccato servire »
& properare ad exitium. Quare cū hoc noſſet, & tantum jam impetraſſet à Deo »
luminis, ut meliorem videret tramitem, obſecrare me, ut fidenter se tenebris, »
earumq poteſtati subtrahat, animū ad Deum vivū convertat, armet se ejus »
verbo, quod certum præſtet fundamentum; initium faciat sub impenſioribus precibus & collocata in Deū fiducia nec diutius cunctetur eam denuò »
profiteri veritatem, quam Fridericus Sapiens & alij majores ejus, præſtantiſsimi viri, sanguine suo profuſo adprobare parati fuiſſent, me timere »
si differre conſilij exſequutionem pergat, ne ab adverſa parte tot objiciātur »
difficultates, ut nullus superſit modus ipſum expediendi. Et quantum »
id ipſi angoris sub morte incuſſurū foret, quando solatij Evangelici compos »
fieri nequeat. Quid tandem reſponſurus sit Jeſu Chriſto, tempore »
pateſcentis ejus Majeſtatis gloriæq exprobraturo. Se poſt defectionē »
ipſius tam præſto ei adfuiſſe, oſtendiſſe viam superandæ dubitationis »
& vitæ æternæ conſequendæ, à qua profanas ob rationes refugiſſet. Cogitet »
provecta se ætate eſſe, nec eadem, qua olim uti Valetudine. & Et ut longā »
vitam & plenam virium corporis reſtitutionem ipſe precer; hoc tamen »
conſtare ex S. Scriptura, palmæ modo spatium nos inter & æternitatis »
aditum intercedere. Quid tum profutura foret omnis vitæ hujus gloria? »
aut quanti hæc intuitu æterni damni, quo anima mulctetur, æſtimanda? »
Quod si revera aliquid subeſſet scrupuli, me per Deum ipſū obteſtari, »
ut de eo mecū communicet, ne ego quidquam inexpertū omitterem, »
& ipſe certius eſſe poſſet, omnia se tentaſſe ad conſcientiæ tranquillitatem. Interea me in deprecatione coram Deo perſeveraturum »
& intente precaturū, ut inchoatū opus ad æternam ipſius salutem »
perficiat. »

Ad hæc III. Octobris ille reſpondit: se adhuc in scrutatione & deliberatione versari. Denuo igitur VI. Octob. exarata epiſtola hoc inter cætera monebam: id mihi quidem solatio eſſe, quod scripſerit, se adhuc verū inquirere, & deliberare; sed optare me, ut se quaſi in ~~illa~~ æternitate illa ſtatuat, indeq proſpiciat, quæ peragenda sint sub

mortalitate; ut eo Simplicius animū Deo addicat, clarum ejus verbū usurpet, tanquam facem, ut ex eo cognitam Veritatem, exemplo Josiæ, toto animo, fidens Deo, audeat coram cunctis hominibus profiteri.

Laudatus Sit Dominus, qui, multis tentationibus & insidiis antegressis, animū Principis tandem convicit. Itaq; XVI. Octob. re cū paucissimis communicata, præter Spem & expectationem reliquorū omniū in ædem Sacram Pegaviæ Se contulit, nunciū Pontificiæ Sectæ publicè misit, & ad Sacram coenam ritu Evangelico, Sub concentu carminū gravissimi lapsus deprecationem Significantium, & veste lugubri ac cultu animi admodū pij & Submissi habitum præ Se ferens accessit. Id mihi confestim, misso cursore per litteras his verbis indicavit: ipsum Se vicisse, adjutrice Dei gratiâ & ad præscriptum Servatoris nostri Jesu Christi, in cœtu Evangelico Pegaviensi S. cœnæ interfuisse. Regi etiam Borussiæ, aliisq; principus Suū ad Ecclesiam Evangelicam reditum litteris celeribus Significavit.

Gratulatus igitur Principi Sum, & Simul confirmari ipsum in agnito divini verbi pretio, ejus usum monstrari legitimum, obtestatus, ut dignâ professione Evangelica vitam agat, & Christum lumen mundi Sequatur. Precatus ei Sum confirmatorem fidei, Spiritum, qui efficiat, ut dehinc nec morte, nec vita, nec angelo, nec principatu, nec potentia, nec eo, quod præsens futurumve, altum profundumve Sit, nec ulla re creata Se Sinat Sejungi ab amore Dei in Christo Jesu, Domino, nos impense diligente. Rom. VIII.[38-39] Adversus hominum insectationem, commendavi ei Davidis effatum Psal. XXVII.

Collegæ mei cum illo ipso temporis articulo, quo cursor ad me accessit, mecum una essent, atq; ita ejusdem gaudij fierent participes, statuerūt & ipsi conjunctim ad Principem Scribere epistolam, qua expositis rationibus gravissimis, ob quas Pontificij cultus Societas deserenda esset, hortati eum Sunt verbis Apostoli Judæ v. 20. 21. Vos autem dilecti, Sanctissimæ vestræ fidei Superstruentes vos ipsos, per Spiritum Sanctū orantes, vos ipsos in Dei charitate conservate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi ad vitam æternā.

Modeſte etiam oſtenderunt, non Satis eſſe ad externam veræ profeſſi cœtus communionem reverſum eſſe, requiri interiorem animi Sub fide Sanctiſſima culturam, quæ demiſſa precatione impetretur ac continuetur. Aliter ipſum non parem fore pravæ Solicitationi Superandæ. Luctetur Super fide Sanctis propoſita, v. 3. adhibitis viribus, quas pro opulentia gloriæ Suæ Deus ipſi daturus Sit ad ineundum illud bonū certamen, ut, hoc abſoluto, cuſtoditaq; ad finem fide, coronam illam, in cœlo repoſitā, olim obtineat &c.

Ad hæc ille V. Novemb. reſcripſit clementiſſime. In his litteris verba tam præclara & digna Chriſtiano viro legebantur, ut animadverteremus, Deum in ipſo inchoatum opus Suum perficere.

Paulo verò poſt nuncius adferebatur, morbo paucorū dierum, variolis Simili, XIV. Novemb. Principem è vita, piè admodum, & Sub fidei conſtantia deceſſiſſe: quo valde quidem adflictus Sum, cum Spes eſſet, illum impoſterū rebus Suis & Subjectorū Saluti melius proſpecturum, poſthanc animi mutationem. Nihilominus prædicari Dominū, non obſcuris auſpiciis in toto hoc negotio ante oculos noſtros obverſantē & jam clare patentem conſiderantibus contentionem & luctam illam animi, in hac ad veritatem reverſione molienda. Ita intelligebatur, quàm chara Deo hominū Salus Sit, quàm cupiat eos ab omni or errore vindicare, & quam promte eos ab illo liberet, Si omiſſa repugnandi, divinumq; Spiritum repellendi pertinacia, verbo ejus aures præbeant, & cordi ipſis Sit noſcere veritatem. Etenim vult Deus omnes homines Servare & ad veritatis agnitionem pervenire. Collaudetur igitur pro omnibus Suis, licet inenarrabilibus, beneficiis!

XVII.

Commemoravi in Superiori epiſtola ſtatum Academiæ; in qua noſtræ Theologorū diſciplinæ, quam præ cæteris noſſe velle Te, Theologum, Suſpicor, Sua adhuc conſtat ratio, Suusq; Succeſſus.

Edidi libellum, Ideæ Studioſi Theologiæ dictū; in quo docui qualis is eſſe debeat, intuitu tum vitæ, tum Studiorū, quibusq; Subſidiis talem

habitum acquirat. Hoc Scriptum obeuntibus Sacri in Eccleſia munus, vel olim obituris omnibus ita accommodatum est, ut ejus ductu Sensum, deſtinationem habilitatemq Suam explorare & emendare, vel conformare poſsint, ubi adhuc in aditu Sanctiorū Studiorū conſtituti Sint.

Inprimis verò noſtris alumnis hac inſtitutione conſulere volui; ad quos Spectat etiam adjuncta libello Sub finem compellatio, quâ commoda, quæ in hac Academia offeruntur, deſcripſi; modumq recte iis utendi oſtendi: quod facere neceſsarium exiſtimavi propter imbecillitatem humani ingenij, maximè juvenilis, præſentia contemnentis bona, nec vel noſcere ea admodum laborantis. Hunc libellum multi, dum in Scholis inferioribus adhuc verſantur, lectitant; unde duce illo, in ipſo curriculo Scholaſtico ad acroamata Academica eò Solertius Se poſsunt præparare. Qui, explorato ita Academiæ noſtræ ſtatu, huc accedunt, noverunt jam modum diſciplina noſtra recte fruendi. Cæteris libri lectio commendatur, cum altero ab adventu die in conventū Theologicū veniunt de ratione ſtudiorum conſulturi.

Bis talem conventum ex præſcripto Singulis hebdomadibus agimus, vel Sæpius etiam, poſcente accedentiū multitudine. Vetus hoc inſtitutum est, quod inde ab initio Academiæ conſtantiſsime retinetur. Solent in plerisq Germaniæ Academijs Suo arbitrio relinqui ſtudioſi juvenes, & illorum quisq Suo delectu publicè privatimq Sua ſtudia tractat. Id verò cùm valde inconſultum Sit, conjunctumq cum maximo juventutis ſtudioſæ & Eccleſiæ damno, prudentiſsime hic conſtitutū est, ut ſtatis horis & in certo conventu modus inſtituendi ſtudij Theologici alumnis noſtris aperiatur; & cùm in tanta juvenū caterva brevi illo temporis Spatio plenius Singuli inſtrui nequeant, privatim etiam admittimus conſilium petituros.

Non hoc solum curatius in nostra Academia institutum est; plura adferri poſsent in eam introducta, quæ cordati viri antea in Academiis desiderarunt.

En verò paucis noſtrū modum diſcipulorū formandi animos & doctrinam, Theologiæ Summa ex Venerandi D. Breithaupij, Facult. Theol. Senioris, opuſculo quod duas in partes, Theticam & moralem, vulgo disjunctas, conjunctim exhibet, unius anni Spatio tota traditur verbis Biblicis, quibus Scholaſtica adjunguntur ad intelligentiam veterū Scriptorū

Theologicorū, & evitandam offenſionem, in quam incidere ſolent perplexæ linguæ ignari.

Has prælectiones excipit, vel comitatur potius explanatio Sacræ Scripturæ; cujus linguas qui nondum perceperūt, annuo ſpatio tam Græcā quam Hebraicam addicere docentur. In iſtis enim linguis duo Profeſſores diligentiſſime noſtros inſtituunt, id dantes operam, ut integri Codicis explicatio intra annū abſolvatur. Quanquam illi in verbis enucleandis maximam operæ partem inſumant; non intacta tamen difficiliora loca prætermittunt: ut adeo hæc linguæ perceptio non parvū adferat momentum ad ipſam rerū cognitionem. Adſecuti hoc pacto Græci Hebraiciq; ſermonis peritiam inoffenſo pede ad acroamata exegetica accedunt, quibus partim totus ſacer Codex curſim explicatur, vel fuſius quidam ejus libri exponuntur.

Jacto hoc fundamento, quando indubitate ſciunt, quænam vera Chriſti & Apoſtolorū doctrina ſit, quamvis ejus ſcientia inſtructi ſatis videri poſſint ad populi Chriſtiani inſtitutionem; pro conditione temporū noſtrorum & Eccleſiæ, undiq; oppugnatæ, & ſolicitatæ ad varios errores, inſtruuntur etiam uſitatis tuendæ adverſus hoſtes veritatis præſidiis. Ut melius perſpiciatur, in quo cardo vertatur controverſiarū, publicam Eccleſiæ noſtræ confeſſionem enodatius, adhibita ejus norma, Sacra Scriptura, per certum temporis ſpatium explicamus, oſtendentes in antecesſum, quam graviter errent, qui ab ea nonnullorū, præſertim profanorū doctorū exemplo, impietatis patrociniū arceſſant.

Intellectis libris Symbolicis, progredimur ad perpenſationem argumentorum, quibus tradita in illis doctrina Biblica oppugnatur. Eam hic adhibemus cautionem, ut non promiſcue, quod inde ab incunabulis Eccleſiæ erroneū in vetuſtis monumentis memoratur, ſumamus refutandū, ſed temporis potiſſimū noſtri rationem habemus, quo præter Pontificios multi alij in religionem incurſitant, & inter hos præcipue vel omnis etiam in ſacris litteris patefactæ veritatis protervi irriſores. Eminus hi impugnant veritatem Chriſtianam; ſed alij non pauciores numero reperiuntur, qui cominus eam pervertunt, vel improbæ vitæ licentiā adſerturi, vel

inducturi commenta sua in sinceram Evangelij doctrinam, quæ nec in minima parte sine præſenti damno vitiatur. Huic tam propinquæ Veritatis impugnationi præcipue opponimus antitheticas noſtras lectiones; quanquam nec remotiorem plane & vetuſtiorem plane negligimus. Solemus subinde omnia secula percurrere, occurrentesq; in illis hæreſes paucis deſcribere indicatis libris, unde singularum notitia accuratior, si ea quis impoſterū indigeat, hauriri poſsit. In ipſa autē controverſiarū tractatione ſtudioſe fugimus cum acerbitatem & contumeliam, tum adfectatam errorum excuſationem, & novitatem occupatiſsimorū in concilianda Veteris Eccleſiæ doctoribus infamia, fideq; illorum elevanda. Commonſtramus auditoribus originem omnis aberrationis non aliunde, quā ab interna vitioſitate, qua omnes naturaliter infecti sumus, derivandā; hortantes ut omiſso aliorum ludibrio, horum moniti periculis & damnis sibi ab interno corruptore cavere diſcant.

Poſtquam aliquo temporis spatio alumni ita inſtituti fuerūt, ſenſim adducūtur ad exercitationem, qua ea, quæ perceperunt, diſcant cum aliis, maxime rudioribus, in quorum gratiam pleraque addiſcuntur, communicare. Hoc fine traduntur præcepta Homiletica, seu regulæ publice pro diverſitate auditorū, recte & cum fructu sermonē habendi, rejecta Vaniloquæ artis diſciplina, qua ante legitimū Theologiæ scientiæ & experientiæ spiritualis profectum audacter declamare de Numine sine lumine feroces juvenes docentur. Plus autem noſtrates exemplo proficiunt, quam arte inani. Singulis enim diebus Dominicis — unus alterq; ex Profeſſorū ordine pro concione dicunt; quorū sermo diſcipulis exemplo est, tractata in Cathedra cum majori simplicitate & perſpicuitate in roſtra proferendi. Præterea nonnulli ex alumnis sæpe coram cœtu commilitonū præſente & corrigente Profeſſore popularem habent orationem.

Omnes verò aliud exercitationis homileticæ genus frequentant, cujus supra, cum de Scholis noſtris age~~bam~~rem, feci mentionem. Scil. conveniunt ad conſociatam libri Biblici explicationem illi, quos idē hoſpitium

eadem menſa patriave fieri conjunctiores. Rationem hujus inſtituti pluribus ex adjecto libello cognoſces. Vix ullo tempore hi conventus frequentiores fuerunt, inſtituentibus illos maxime conterraneis: ex quo Sanctioris amicitiæ vinculo non parum utilitatis in cujusq patriam proventurū Speramus. Certe capta hæc Sub divini Verbi tractatione & obſequio familiaritas, plus olim in animos ad communem operis Dominici perfunctionem inflammandos valebit, quam Solemnis multis Academiis popularium ad comeſſandum, compotandum, libidiniq juvenili Serviendum conju~~nctio~~ratio.

Accedit ad hoc exercitium aliud, quo ratio inprimis Chriſtianæ fidei elementis parvulos & plebeios homines perſpicue & efficaciter erudiendi, præceptis & exemplis monſtratur. Quæ inſtitutio quamvis Supervacua illis videri poſſit, qui præterquam reconditiori eruditioni, nulli rei in Scholis altioribus locum faciendum eſſe contendunt; nos tamen aliter de ea re judicare debemus, quibus nihil antiquius hominū Salute æterna est, cui parum conſulūt magno litteraturæ adparatu inſtructi, Si inexercitati Sint in Simplici modo docendi rudiores de Chriſto & quærenda in eo beatitate. Conſtat in puerili ætate & maxima parte populi facilius Veritatis notionem & pietatis Senſum inſtitutione Catechetica informari, quam copioſa oratione, è Suggeſtu pronunciata, quæ cæteroquin, Si recta Sit, habere poteſt utilitatem. Præclaram vero huic exercitationi materiam Suppeditat formanda in Scholis, Supra deſcriptis, puerorum ac puellarū caterva. Hanc multi quotidie excolunt juvenes & ex hac tenerorum animorū cultura magnum diligentiæ & fidelitatis fructum capiunt, & facultatem Scite olim in munere eccleſiaſtico divinū Semen Serendi cum præſentiſſimo largioris meſſis proventu.

Hactenus de Studiis neceſſariis. Si tempus Supereſt, alia quoque præſidia & ornamenta Theologicæ Scientiæ, Philoſophiam, Matheſin, linguas plures, &c. arripiunt, præſertim illi quibus Scholaſticum Vitæ genus propoſitum est: qui itidem in Paidagogio noſtro, & Latinis Orphanotrophei Scholis egregium exercitamenti campum reperiunt.

Cæterū ne refrigeſcant noſtri, & tam in cultu animi quam menbis

remittant, quinto quoq; hebdomadis die horam publice impendo illis exhortandis. Paræneseôs nomen à multis jam annis publica hæc prælectio habuit, qua lectius coram toto cœtu consilia explico Salutaria, quæ Singulis privatim dare Solemus, & dehortor eos à præpedimentis, quæ illos monitis nostris non Sinūt obsequium præstare. Hoc inprimis Sæpius inculcatur, ut Studiū Theologiæ quisq; à Sui ad Deum conversione incipiat: cujus excitandæ, expediendæ incitandæq; in omnibus ~~in omnibus~~ prælectionibus Theologicis ratio habetur.

Quam efficax hæc nostra disciplina in multis alumnis fuerit, & quantos hi ferant fructus, passim functionibus Ecclesiasticis, aut juventutis institutioni admoti, hic non potest enarrari. Incipiens cum principio Academiæ nostri laboris Successus continuo, divina Succurrente gratia, retinetur inter varias difficultates.

Multum in hanc rem conducit animorū nostrorū, non nostra, Sed ea, quæ Jesu Christi Sunt, quærentium consociatio. Ita communi consilio omnia agimus, & distributis pensis, quisq; pro facultate & obveniente provincia auditorū Studiis & Saluti fideliter inservit.

Idem fit in laboribus, qui Scripto peragendi Sunt, in quibus hoc quidem generatim Studiose cavemus, ne numerū Supervacaneorū librorū augeamus, vel utilium etiam Scriptorū confectione laboribus magis necessariis tempus Subtrahamus, pro lege Scribendi habentes occasionem notabiliorem, vel etiam necessitatem; quam, quod diffiteri non possumus, multi, qui genuini B. Lutheri Successores reputari volunt, virulenta criminatione Sæpe nobis imponunt.

Quas Scriptiones ego ab anno 1714. vulgaverim jam commemoravi.

Venerandus Abbas Bergensis, idemq; Theologiæ Professor, D. Breithauptius publicavit primam fusioris Systematis Theologici partem, & Secundum volumen epistolarū Anti-Pelagianarū, adversus redivivum Pelagium, ex parte Scilicet reviviscentem in persona quorundam exosorū divinū lumen & veram Sanctitatem hominū, & pro impio Suo illuminato & virtute gentili, tanquam pro aris & focis pugnantium.

Rdus D. Paulus Antonius partim nova edidit, partim olim edita, ſed nunc aucta multiplici acceſsione, recudi curavit varia opuſcula: de converſione Samaritanorum, de vera & falſa doctrina dignoſcenda, de qualitate fundamentorū, ex quibus Pontificij etiam principibus res ſuas perſuadere nituntur, de autoritate Eccleſiæ, quæ mater eſt, de Harmonia fidei, de Libertate Chriſtiana, de Patmo Lutheri, de Veritate Chriſtianæ Religionis, ipſis Judæorū obtrectationibus confirmata, de ortu mali, de genuino principio actionū Chriſtianarum, de Spiritu moderationis; epiſtolam ad Theologū Saxonicū exaratam de vera & viva Fide.

Rdus. D. Michaëlis, ut ſupra narravi, occupatus fuit in concinnanda illa præclara editione Hebraici Codicis & Commentariorū ad Hagiographa, ſeparatim in tres tomos relatorum.

